










ORATOR

EXTEMPORANEVS

Siue

ARTIS ORATORIÆ
Breuiarium Bipartitum,





ORATOR
EXTEMPORANEVS

Siue

ARTIS ORATORIÆ
Breuiarium Bipartitum,

Olim à

GEORGIO BECKHERO,
Elbingensi editum.

nuper verò

MICHAELI RADAV, S.I.
Vindicatum.

Nunc denuò singulari studio auctius & emendatius editum. Accessit Index locupletissimus.

SEXTA EDITIO.

Superiorum Permissu, ac Priuilegio.





VENETIIS, M. DC. LX.

Sumptibus COMBI, & LANOV.



N Tibi! L. A. Oratorem extemporaneum, Beckheri, an P. Radau? auctiorem certè iam, & studio nostro emendatiorem. Vidit ille primum in Belgio lucem & singulari Doctorum applausu ad nos peruenit. Non potest dici quanto ardore, quamprimum eius notitia apud studiosam Iuuentutem inualuit, vndique fuerit conquisitus, vt exemplaria ad nos allata nullo modo sufficerent. Operæ propterea pretium facere nos putabamus, si aureum hoc opusculum recusum nostratibus daremus. Faciebamus id ante biennium, & ecce quum vix manus suprema operi esset imposita, alia nobis editio, ex eodem Belgio, ad manus peruenit, editore Adamo quodam Motkovvsky, P. Michaelem Radau auctorem libri deprædicans, Beckerumque, nescio cuius, rapinæ postulans. Mirari in princi-

pio & hæsitare subueniebat: Verùm, quum rem ipsam inspiceremus, nec, nisi in quibusdam saltem exemplis, vllam fere diuersitatem reperiremus, animum resumsimus, idemque opusculum operæ Typographi denuò subiecimus, rem hoc modo aggressi: Retinuimus priorem illam, quæ in manu erat, editionem, paucaque illa exempla, quæ illi deesse videbantur, ex altera illa adiecimus, indice itidem, qui in Montkovvskiana deerat, necessariò verò requiri videbatur, insuper addito. Transsigant illi de Auctore inuicem. Parum ad nos: dummodo habeamus, quo bono publico, studijsque Tuis, A. L. inseruire queamus, cuius beneuolentię & fauori nos semper cupimus commendatissimos.
Vale.



ARGVMENTVM



Trium de Oratore Librorum Ciceronis & nostri Opusculi Dispositio.



NDVCTIS ad morem dialogi loquentes personas Licinij crassi, M. Antonij, Q. Mutij Scæuolæ & aliorum docet Cicero in Primo Libro Materiam artis Rhetoricæ, Naturam eius & Imitationem: In Secundo tractat Inuentionem, Dispositionem & Memoriam: In Tertio Elocutionem & Pronunciationem. Nos doctrinam Ciceronis non ordinem sequuti, BREVIARIVM nostrum in duas partes distribuemus: In *Prima Parte* docebimus generaliter *inuenire*, *Disponere*, *Eloqui*: In *Secunda Parte* ad tria dicendi genera,

Ciceron. de Oratore librorum, & operis nostri inter se collatio.

Demonſtratiuum, *Deliberatiuum*, *Iudiciale* easque orationes, quæ ad hæc genera pertinent, deſcendemus. Et verendum licetne in ſecunda hac parte moram nobis vbertas materiæ PRAXIVMque ſcribendarum voluntas inijciat, breuitati tamen ſtudebimus, vt promiſſæ nunquam obliuiſcemur.

Pars Prima.

De Inuentione, Diſpoſitione, & Elocutione.

Eloquentiæ ſtudioſo tria potiſſimū difficilia.

Tria Eloquentiæ Candidato difficilia obueniunt; *Primo* vt habeat quod dicat, & hoc docet INVENTIO; *Secundò* vt ſciat, quo ordine dicat; & hoc docet DISPOSITIO; *Tertio* vt ornatè ac venuſtè dicat; & hoc docet ELOCVTIO. Diſtinctè ergò de his Tribus præcipiemus, diſtinctis Capitibus: Nam de MEMORIA, & PRONVNCIATIONE vtpote ijs, quæ à natura melius, & vſu habemus aut nihil aut aliquid breuiter.

Cap.

Cap. I.
DE INVENTIONE.

Vt clarius procedamus de Inuentione, quæstiones aliquot mouebimus. *Inuentio.*

QVAESTIO PRIMA.

Quid scripturus Orationem inuenire debeat?

RESP. I. Ante omnia scopum Orationis inuenire debet, ad quem in omnibus collimet, hoc est; debet certam propositionem sibi præfigere & excogitare, ad quam omnia dirigat; aliàs cœcis oculis natanti similis erit, qui brachiorum plausu multum fatigatur, & parum proficit; eo quod littus, quo debeat tendere, non videat. *Inuentio quid?*

Ex materijs verò occurrentibus ea semper eligenda est, quæ apta est tempori, vtilis, selecta, quæ non sterilis, non difficilis, ab Auditorum captu non aliena. *Quæ materia eligenda.*

In genere *Exornatiuo* inuenienda materia grauis, magnifica, plausibilis: Quare cum *Virgilius* Culicem, *Catullus* passerem, Psittacum *Statius*, *Maioragius* Lutum, Ouum *Puteanus*, Ebrietatem alius, alius pedicu- *In Demonstratiuo genere.*

lum & pulicem, scabiem & quartanam febrim alter laudauit exercitij gratia & ingenij factum arbitrare: Cæterum, si quis talia serio ageret, apud prudentes risum & puerilitatis notam incurreret.

In Deliberatiuo & iudic.

In *Deliberatiuo* & *Iudiciali* talis quæstio accipienda est, qualem necessitas requirit & Auditorum capacitas exigit.

Inuentio vnde proueniat.

Inuentio porrò prouenit pulcra quidem ab ingeniosa natura: ei tamen quæ eruditione non careat: Nam *Eruditio* parens est & nutrix inuentionis: qua propter si facilè & pulchrè inuenire vis, scito Historias gentium, consuetudines, fabulas, Apologos, Sententias, Hieroglyphica, Apophthegmata; Nam ex his non difficulter aliquid, quod in rem tuam erit, eruere poteris.

Oratores moderni acuta gaudens inuetione, vid. quæs. seq. septimam sel.

Obserua verò Oratores, & Historicos maximè hisce temporibus laborare, vt *acutam* inueniant *Propositionem*. *Acutam* verò *Propositionem* vocant illam, quæ sub *Allegoria* infertur, quippe sensus simplex est & antiqua veritas, sed noua veste in-

cin-

cingitur, hoc est; sub Allegoria simplicitas regitur, quam, è verbis contextam vestem si detraxeris, nudam, apertam, & simplicem cognosces: Exempli causa; *Istius Propositionis Allegoricæ*; *Castra vobis metabor Auditores*; Sensus simplex est: *Bellum vobis suadebo*. Et illius; *Togam laceratam hodie consuam Audit:* Veritas nuda est; *Pacem vobis post bellum suadebo*. Tales propositiones argui non possunt; sed cauendum ne affectatæ sint, leues, & scurriles l. nugatorio nixæ fundamento, Grauitas siquidem Oratorem decet: illi tamen, qui primum discere incipiunt, assuescant simplices, & apertas inuenire propositiones, argumentaque facilia, & clara conquirant; sic enim breui proficient: & ad propositum loqui discent. Hoc vbi didicerint, facilè pro suo quisque ingenio assurget.

Arg. inueniēda post propositionē inuētam quib. hæc ipsa sufsulcitur.

RESP. II. Vbi propositionem inuenerit, debet arguméta inuenire, quibus propositionē stabilire possit, vt apud Audit: sibi fidem faciat. Est autem argumentum probabi-

le Inuentum ad faciendam fidem, hic est; Est causa, qua Orator suam propositionem veram esse suadet.

Argum. duplicia. Dixi probabile Inuentum, quia duplicia sunt Argumenta alia certa, euidentia, necessaria, quæ prorsus conuincunt. *Vt Petrus non est bestia, quia est rationalis.* Alia sunt probabilia seu persuasibilia, suntque argumenta popularia, habentia speciem veri, hoc est, quæ videntur esse vera propter hominum opinionem, leg. propter similitudinem quam habent cum veritate, leg. propter euentum: *Orator arg. popularia adhibeat.* Et talia præcipuè Orator conquirere debet, non quod necessarijs demonstrationibus vti non possit, sed quia plerunque populares propositiones facit, quæ carent demonstrationibus: vel quia cum populo agit, qui facilius mouetur ijs, quæ ingenio & consuetudini suæ magis accommodata sunt, quam demonstrationibus, quæ difficulter à rudioribus intelliguntur.

Arg. in locis quærenda loci dup. Porrò argumenta in *locis* quærēda sunt; *Loci* enim sunt domicilia & palatia eorum, & hi quidem duplices.

plices, *Intrinſeci*, & *Extrinſeci*. *Intrinſeci* vocantur, quòd in re propoſita lateant: *Extrinſeci* verò ſeu *aſſumpti* dicuntur, quòd extra rem ſint, & ab extra aſſumantur. Sunt hi, præiudicia vel iudicia, teſtes, leges, tormenta, tabulæ, authoritas, exempla, hieroglyphica, apophthegmata, fabulæ, mores gentium, antiquitates, &c De *Intrinſecis* vtpote rerum fontibus hic breuiter agendum.

QVAESTIO II.

Quomodo argumenta in Definitione ſint inuenienda?

RESP. Definitio eſt oratio explicans quid res ſit, apud *Dialecticos* conſtat communiter *genere* & *differentia* ſeu *vno nomine generali*, *quod rei definiendæ & multis alijs eſt commune*, & altero nomine, quod *huic ſolum rei conuenit*, quæ definitur v.g. *Homo eſt animal rationis particeps*. Oratores rariſſimè vtuntur tali definitione, quia parnam porrigit copiam, ſed alios habent modos res explicandi, quorum aliquos enumero.

Argum. in defin.

Modi aliquot inueniēdi argumenta in definitione.

Primus. *Primus est*, per partes rem describere, quod fusè fit & ornatè, sed descriptio potius quàm definitio dicenda est. Exemplum dat Causinus. (In eloquentia sacra & profana) *Papilionem* sic describens: *Papilio animalculum est, ut in urbibus ratum, sic in agris frequens, corpus illi plenum, tenerum, molle, flexile, paulatim in exiguam longitudinem gracilescens, cui supersparsus teneræ lanuginis decor efflorescit, exstant veluti porrecta minutissimis filis cornua, quæ inter micantium oculorum iucundus fulgor irradiat; sed præcipuum in pennis miraculum, quippe supra tenuis corpusculi medulum gemmant floribus, nitent purpura, auro micant, stellis radiant: his veluti remigijs liberatus in aerem volitat ludibundus, & ad singulas penè stirpes adhærescens, modò delicatissima proboscide foliorum succos pabulatur, modo molliter quiescit inter odorum delicias, modò redintegrato volatu superbius emicat, & insultantium puerorum manus, sexcentos in aerem Mœandros pingens, eludit.*

Papilionis descriptio elegantissima.

Secun-

Secundus est per effecta, quæ à quatuor causis profluunt: Et hic modus fusus est; cauendum tantum, ne leues effectum minutiæ conglobentur. *Sic Ebrietatem descripsit D. Ambrosius: Ebrietas est incentiuum insaniæ: fomentum libidinis, venenum sapientiæ. Hæc sensus hominum mutat & format, per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes, & cet.* *Secūdus.* *Ebrietatis descriptio.*

Sic Petrarcha Formam. *Forma est velum oculis, laqueus pedibus, alijs viscus, haud facilè vera discernere, seu virtutem sequi poteris, seu in altum euolare animo, detinuit enim forma multos ad honesta pergentes.* Et alibi. *Forma est hostis domesticus, blandus raptor temporis ac quietis, perpetuus tortor, tormentum libidinis, & sine virtute sola, infaustum animæ pondus & tristis ludibrij insigne.* *Formę descriptio.*

Tertius est per similitudinē, non ita vti communiter similia tractare solemus per particulas *sicut, quemadmodum &c.* Sed his omissis, simpliciter affirmando sine comparatione, v.g. *Quid est vita nostra? est* *Tertius per similitudinem.* *Vita.*

forum in quo venditur & emitur, in quo alter fallit alterum, & singuli in rem suam attentissimi sunt, & nemo non suæ crumenæ inuigilat: Est fabula in qua suam quisque peragit personam, hic Regis, illi Rustici &c.

Quartus per Synonymiam. Lilium.

Quartus est per Symoniam res explicare. Exempli causa. *Quid est aliud Lilium quàm terræ ornamentum, plantarum gloria, oculus florum, pratorum gemma, agrorum sidus, quod sic terram exornat, vt Cœlum Stellæ, ita floribus addit lumen, vt Iaspis auro, sic oculos exhilarat, vt Sol vniuersum.* Et apud Caussinum (*In Eloq.Sac.& Prof.*)

Sciolus quidam.

Sciolus quidem se floride describens contra Ciceronem, sic effert: *Ego sum Oratorum Luscinîola, Elegiacorum Olor, Epigrammatistarum Psittacus, Lyricorum Graculus, Comicorum Pauo, Tragædorum Struthio: deinde me cum isto Arpinate comparate, Adamantem cum vitro, gausape cum holoserico comparabitis.*

Quintus per causas.

Quintus est per *Causas* à quibus fluunt *Effecta*, quales sunt; *Materia, Forma, Efficiens, Finis* v.g. *Dædali*

dali manu exstructum ædificium est, de viuo & secto lapide, forma orbiculari, cœli iniurias non propulsat solum: sed exonerandi curis animum & oblectandi gratiam continet maximam; Cœlum prope terrestre diceres, ita venustate non abludit. *Ædific. Dædali manu exstructũ.*

Sextus est per negationem, quando primo ostenditur; quid res non sit, deinde dicitur quid sit; Sic Bahusiūs (*lib.3. Epigrammat.*) Amicum describit: *Sextus per negationem.*

Non nuda vox Amicus est, non cassa nux, *Amicus.*
Non amabilis risus, non blandi nictus,
Non ocelli ludit, &c.
Cernitur Amicus Amore, more, ore & re.

Septimus per adiuncta & proprietates: Sic Christus Dominus definitur: *Assertor humanæ libertatis, sanctitatis Magister, absolutæ perfectionis Præceptor, Fons perennis virtutum omnium.* Sic Salomon describitur: (à Vernulæo.) *Magnum illud sapientiæ humanæ miraculum & oraculum Salomon, cæli discipulus, orbis vniuersi Magister.* *Septimus per adiũcta et proprie. Christus Dominus. Salom.*

Sic Homerus: (ab eodem) *Ingeniorum Phœnix sciëtiarumq; fons Homerus, & humanæ terminus admirationis, quem antiquitas veneranda, ore patulo vomentem ita repræsentauit, vt defluentes ab eius ore liquores & flores in amphoris & canistris colligerent Philosophi, Iurisconsulti, Oratores, Astrologi, Poetæ, Pictores.*

Octauus per contẽtionem Ironicam.

Octauus per contentionem ironicam, quando res secundum quorundam opinionem definitur priùs ironicè, deinde remoto joco grauiter ex propria mente explicatur.

Qui Oratoris vtilissimus.

Hic locus definitionis Oratori non ad probandum solum vtilissimus est: sed etiam ad amplificandum venustissimus: sed quia ingenia nostra non semper apta sunt ad inueniendum, iuuet interdum ex probati Autoris loco occasionem sumere. Quis enim nesciat, quantum orationis fundendæ campum aperiat vna interdum pulchra *Metaphora vel Allegoria* apud Autorem lecta. Itaque definitiones selectas aliquarum rerum hic subiungam, quibus prouocatus, in aliijs materijs, simile

simile quid attentabit diligens exercitator.

Definitiones aut si mavis Descriptiones variæ.

Homo est fortunæ Lusus, inconstantiæ imago, corruptionis speculum temporis spolium mortis mancipium versatile sepulchrum, fragile simulacrum tenuis vmbra, vmbræ somnium, spirans cadauer, viua mors, pila qua ludit Deus. (Plautus. Aristot. Trismeg.) *Homo.*

Thrasybulus multis victorijs & triumphis inclitus, in magnam apud hostes inuidiam incidit, captus ab iisdem cute exutus est, & abiectus, Amici quæsiuerunt occisum, & exsangue corpus agnoscentes, ita hominem cum lamentis descripserunt: *Quid est homo, nisi ampulla sanguinis, consecrata Religioni, Patriæ, veritati.* (*idem*) *Thrasybul.*

Homo est magnum miraculum, (Trismegist.) *Hominis definitiones variæ.*

Homo est Deus mortalis. (Pythag.)

Hominem diuinum genus appellauit. (Plato.)

Homi-

Hominem vniuersum quoddam nominauit (Plotinus.)

Hominem vniuersam creaturam vocauit. (Greg.Pont.)

Adulat. *Adulator est amicus in obsequio, sed hostis in animo, comptus in verbo, sed turpis in facto, lætus ad prospera, fragilis ad aduersa, facilis ad humana, difficilis ad honesta & semper mendax.* (Doctor quidam Gall.)

Domus Regia. *Domus Regia Principis sit Dei Templum, prudentiæ oculus, libra iustitiæ, fortitudinis sedes, regula temperantiæ, honestatis exemplar charitatis splendor, fons Gratiarum Musarum Chorus, Oratorum Poetarumque Gymnasium, Philosophorum Theologorumque sacrarium, Prudentum Senatus, præmium literatorum, pauperum mensa, bonorum spes, innocentium refugium, omnium miserorum tutissimum præsidium.* (Marsil. Ficinus 5. Epistol.)

Scient. definiunt hominē. Dialect. Fingunt Poetæ conuocatas olim ex præscripto Mineruæ Sciētias, & iussas hominē definire, sic cepisse: DIALECTICA; *Homo est breue Enthymema, pro antecedente habet ortum pro consequente interitum.*

ASTRO-

ASTROLOGIA *sic*: *Homo est quasi Luna mutabilis, quia nunquam in eodem statu permanet, sed semper ad corruptionem tendit*. PHYSICA *ita*: *Homo est animal rationale mortale*. MATHEMATICA *sic*: *Homo est veluti figura sphærica, ab eodem quo incipit puncto, in idem terminatur*. Sic Homo de terra initium sumens in terram tandem redigitur, atque adeò de cinere in cinerem. RHETORICA sic: *Homo est oratio cuius Exordium est nasci, Narratio dolere, Epilogus mori: Orationis huius figuræ sunt gemitus & fletus, vel gaudium fletu deterius*. *Astrol.* *Physica.* *Mathematica.* *Rhetorica.*

Persarum Rex Sapor in Epistola ad Constantinum sic se descripsit: *Rex Regum Sapor, particeps siderum, frater Solis & Lunæ Constantino fratri salutem* (Marcelin. lib. 7.) *Sapor.*

Soldanus in literis ita: *Salamander omnipotens ante Chartaginem Dominus Iordanis, Dominus Orientis, Dominus Bethlehem, Dominus Paradisi, Præfectus inferni; Maximus Imp. Constantinopoleos, Dominus aridæ ficus, Dominus quo Sol & Luna meant, Protec. primi Iohannis* *Soldan.*

Sacerdotis, Imperator, Rex Regum, Dominus Christianorum, Iudæorum Turcarum, Amicus Deorum. (Drexel. in Prodromo æternit.)

Quidam Poloniam sic descripsit: *Clarum Regnum Prolonorum, est cælum Nobilium, Paradisus Iudæorum, Purgatorium Plebeiorum, & Infernus Rusticorum, aurifodina aduenarum, causa luxus fœminarum, multis quidem diues lanis, semper tamen egens pannis, & copiam lini serit, sed externam telam quærit, merces externas diligit, domi paratas negligit, caro emptis gloriatur, empta paruo aspernatur.*

Polonia.

Mundus est choreus constans ex longa & breui; longa nimirum fatigatione & breui mercede (Binet. in Schol.ægr.)

Mundus.

Princeps est assecla Deorum. (Herodian.lib.1.)

Princeps.

Iouis administer, caput omnium & Musicus peritus. (Plutarch.)

Pater & Pastor populi; Lex viua. *Xenophon.*

Pictor Reipublicæ. (Cic.)

Subditorum tutor. (Plato.)

Princeps est Medicus Patriæ. (Seneca.)

Rex

Rex in Regno est sicut pluuia Rex.
in terra, quæ est cæli benedictio, terræ vita, viuentium iuuamen. (Aristot. in Epistol. ad Alexand. Mag.)

Alius quispiam; *Rex est ignis ad quem nec propè nimis accedendum, nec longè nimis recedendum; Nam si propè accedas, adureris, si longè recedas, non calesis.*

Quidam in Nomenclatura politica panem ita; *Panis est omnibus* Panis.
omnia.

Christiernus verò Rex Daniæ; *Panis est remus regni*. Hic Rex in flemmate habuit cimbam cum remo in cuius manubrio panis erat, cum inscriptione: *Et pangit & frangit*; scilicet panis frangit hostes, pangit amicitias.

Butyrum manè est aurum, meridie argentum, vesperi plumbum. (Binetus in Schol. ægror.) Butyrum.

Mulier est Paradysus oculis, infernus animabus, purgatorium crumenis, limbus cogitationibus. (*Hisp. Prouerb.*) Mulier.

Orpheus DEVM vocauit cor temporum, quia mortuum est omne tem-

pus,

pus, quod sine DEO transfigitur.

Tempus. Vitalis est dies quem religio animat.

Luna. *Luna est cerebrum mundi.* (*Orpheus.*)

Sol. *Sol est cor & Oculus, nec non demonstrator iustitiæ. Quia omnibus idem est, nec minus terret Dominum quàm seruum.*

Oculus. *Oculi sunt legati cordis & animi nuncij.* (*Tympius.*)

Ex oculis, poculus, loculis, agnoscitur homo.

Sanct. Michaelem Archangelum sic descripsit Pantaleon: *Lampas Diuinitatis, Assessor Sanctissimæ Trinitatis, Amicus Dei, Caput plenum oculis, Oculus ex pluribus oculis.*

Michael Archangelus. S. Maximus Episcopus serm. 114. sic:

S. Michael altissimus Seraphim, Sol astrorum, Lilium florum, Cedrus lignorum. *Aquila volatilium, Rex Principum, Dux militum, Caput membrorum, Apex Spirituum. Et vt semel totum loquar, Maior in regno cælorum, Maior inter magnos, Maior*

post

post ter maximum, Maior ab officio, titulo triumpho.

S. Chrysostomus describit S. Paulum ita: Paulus cœli ciuis, Ecclesiarum columna. Angelus terrestris, Cœlestis homo. Et sicut ferrum in igne ignis efficitur; ita Paulus charitate succensus, totus effectus est charitas. *S. Paul.*

Gregorius 13. Pontifex Funditores Ordinum Religiosorum sic descripsit: *Dominus est aurora Dei, Franciscus Manna DEI, Bruno terror DEI, Ignatius Ventus DEI.*

Bahusius Milites sic: *Hæc sola nunc est vita militum, malè viuere & benè bibere.* *Milites.*

Quidam salutationem sic: *Salutatio est saltatio, in qua qui non cautè vadit, cadit.* *Salutat.*

Aeneas Syluius. *Scientias*, dixit, *in plebeio homine esse argentum, in Nobilibus aurum, in Principibus gemmas pretiosas.*

Ouuenus vitam hominis sic: *Tota hominis vita est nil nisi Nolo, Volo.* *Vita hominis.*

Pecunia est neruus belli, ferri lima est aurum, ferrum hebescit, quod aurum *Pecunia.*

aurum non exacuit (Cassiodorus.)

Pulchritudo. *Pulchritudo corporis est exigui temporis Tyrannis.* (Socrates.)

Pulchritudo est silens fraus. (Theophrast.)

Regnum sine satellitio est pulchritudo. (Carnead.)

Pulchritudinem vocat literas commendatitias. (Diogenes.)

Lingua & calamus. Linguam & calamum sic describit: (Nigronius:) *Quod lingua nisi loquens calamus. Quid calamus nisi lingua tacite clamans, illa Spiritu hic atramento vtitur, illa scribit vocibus, hic clamat literis, illa auribus locutione, hic oculis scriptione.*

Adulator *Pulex est parasitus* (inquit Bahusius Lib. Epigr.) *opes sunt sanguis, non te linquet, opum dum tibi sanguis erit.*

Amor est gratum vulnus, iucundum venenum suauis amaritudo, latum martyrium, blanda mors. (Petrarcha.)

Morbi sunt vsuræ voluptatum. (Seneca.)

Politicus. *Politicus est animal antiqua spirans,*

rans, noua moliens, in exteris se volutans, præsentia vix animaduertens, linguam gerens à mente alienam.

QVAEST. III.

Quomodo argumenta inuenienda sunt ex partium Enumeratione & Notatione?

RESP. I. Partium enumeratio, est rei in suas partes diuisio, *vt si diuidas vitam humanam, in pueritiam, adolescentiam, iuuentutem, virilem ætatem, senectutem*. Sumuntur verò hic partes latè, scilicet pro omni eo, quod sub generali continetur, siue hoc generale genus sit siue totum.

Argum. ex partium enumer. quomod. inuenien.

Tripliciter à partibus ad totum argumentamur 1. vt omnibus affirmatis partibus totum affirmetur: *Vt si probes totam domum vitiosam esse, diuides domum in parietes, tectum, laquearia, & ostendes singula vitio laborare*, 2. Vt negatis omnibus partibus, totum negetur: *Sic si probare velles nunquam mittendos esse Liberos peregrinationes causa: diceres nec in Italiam, nec in Galliam,*

Argum. triplex à part. ad totum.



nec

nec Hispaniam mittendos. 3. Quando reiectis omnibus partibus vna aliqua affirmatur: *vt aut amat, aut odit, nihil est tertium, non amat verò, oderit ergò necesse est.*

Tractari solet hic locus venustè per Interrogationem, per Repetitionem, per Subiectionem, per Præteritionem, per Apostrophen. Pro exemplo placet hic formosam horti descriptionem per partes apponere:

Horti elegans descriptio. *Hortus erat amœnissimus & prodigiosè Paradisi æmulus, stabant foliorum germine renidentes arbores, quæ cum hilari odore gratas diffundebant vmbras, & elementi brachiorum motu dulces susurros obsibilabant, has inter loquax riuulus, & omni crystallo nitidior errantibus ludebat aquis, & querulo rore lapillos vexabat: vnde pene Musico concentu pulsabatur: Vtriusque flores, & copiosa Zephyri familia, hinc è viridi prato argentea ridebant lilia, illinc purpurascentes rosæ promicabant, istinc narcissorum niuem & ebur, hiacynthorum sanguis & aurum acuebat, ventulus ab omni parte placidissimus*

ſimus adſpirabat &c. (In Drexelij Niceta.)

RESP. II. Notatio ſeu Etymologia eſt vocabuli interpretatio quæ inquirit originem verbi & ſignificationem. *Vt*: *Senatus à Senibus dicitur*. Hæc Etymologia apud Grammaticos frequentior eſt, quam apud Oratores, datur tamen interdum occaſio, vt illius ſuauitate venuſtemus orationem, quod quidem ad perſuadendum parum, ſed ad delectandum multum confert: *Sic Cicero in Verrem jocatur, cum eius nomen vel à verre porco deflectit, l. à verrendi, quod verrere ſolitus ſit è templis aurum, è domibus ſupellectilem, &c.* *Arg. ex Notat. quomodo inuenied. & quid ſit.* *(Cicero in Verrem.)*

Liberius hoc loco vtuntur Poetæ; Sic quiſpiam in *Eraſmum* è Monaſterio fugientem:

Cur Monachos fratres & clauſtra relinquis Eraſme;
Non miſera factum hoc ambitione caret;
Namque latrus illic velut in ſcrobe vilis, eras mus.
In lucem, vt videas, vt videare, ſalis.

Item:

Item:

Vnde suum ducat queris cereuisia nomen,
Quod cerebrum visat sæpè, Sabelle tuum.

Sic *Iohannes Secund.* (Lib. Epigram.) in Petrum quendam loquitur,

Cum tu sis leuior volante fronde
De petra tibi nomen esse (putabam)
ponderosum, &c. Sed petram (sic concludit carmen) *quoque pumicem vocamus.*

Hic locus à Notatione valet non tantum ad lepores orationis, sed interdum fœcundam orationi l. concioni porrigit propositionem.

QVAEST. IV.

Coniugata quid?

Quomodo argumenta inuenienda ex Coniugatis, Genere & Forma.

RESP. I. Coniugata illa dicuntur quæ sunt ex verbis eiusdem generis, *hoc est*, sunt plura verba quæ ab vno orta variè immutantur; vno verbo, sunt primitiua cum suis deriuatiuis: *vt Sapientia, sapiens, sapienter, &c.*

Ab

Ab his ita argumentatur. *Si pietas amatur , & pius amari debet. Si stultitia plenus est , quid nisi stulta effutiet. Si homo es, cur errare, quod humanum est, immortali pœnitentiæ diluis? Et tu homo es , qui omnes humanitatis cancellos egressus , non vnam moribus refers belluam.* Erudite Bahusius; *fient aurea secula , aufer aurum: nam sunt ferrea secula propter aurum.* *Argumẽtatio ab his;*

Differunt Coniugata à Notatione, quia in Notatione explicatio verbi fit;in Coniugatis tantum inflexio,deriuatio & variatio casuum spectatur.

RESP. II. Genus est quod habet multa sub se specie seu naturis diuersa: vt *Ars est genus habens sub se Rethoricam, Grammaticam &c.* *Genus quid?*

Forma autem seu species est vna res ex illis , quæ sub genere continentur *: vt Rhetorica continetur sub arte , est ergò forma.* Locus à genere copiam magnam dat Oratori. Nam hic propositio finita , hoc est , circumstantijs personæ, loci &c. inclusa, ad libertatem, propositionis *Species quid?*

Argumẽtatio ab his duplex. infinitæ reducitur. Argumentamur vero dupliciter à Genere, 1. quando aliquid dicimus de genere idem etiam de forma dicere debemus: *Vt si virtus diligenda est, & temperantia diligi debet.* 2. quando negamus aliquid de genere; idem de forma negare debemus: *Vt si necessariam militi omnem artem liberalem negas, negabis etiam Rhetoricam militi esse necessariam.*

QVAEST. V.

Similitudo quid. *Quomodo argumenta inuenienda sint in simili, dissimili, contrarijs, repugnantijs & comparatione.*

RESP. I. Similitudo est duorum vel plurium longè diuersorum in aliqua re collatio: h. est; similia nt, quæ non sunt quidem idem cum, interea tamen habent aliquid, in quo conueniant. Sic v. g. *vmbra & gloria diuersissima sunt: In hoc tamen conueniunt, quod vmbra corpus, gloria uirtutem comitetur:* vnde dictum à Cicerone *Gloria uirtutis umbra est.* *Vnde possit deduci.* Potest duci similitudo ex factis, dictis, fabulis, & nulla ferè res est, ex

qua

qua duci non poſſit. Valet ad probandum aliquando, frequentius tamen ad illuſtrandam rem aſſumitur. Quando communiter dicitur: *omnis ſimilitudo claudicat*, intellige, quod non per omnia res rei teneatur eſſe ſimilis, ſed ſatis eſt, ſi in aliquo conueniat: Partes ſimilitudinis ligantur paſſim his particulis: *Vt, ita, ut ſic, quemadmodum, pari ratione, ſicut, non aliter &c.*

Aliquando ſimpliciter omiſſis particulis ponitur; v. g. *Reſponſa tua ſint ſponſa, iræ lyræ, ioci croci; horæ moræ, panegyricis iris, dicta edicta:* Pulchrè Hiſtoricus: (Strada de bello Belgico.) *quoties, inquit, mota eſt ſacra Religionis anchora, toties fluctuauit magna Reipublicæ nauis.*

Diſſimilitudo quid?

RESP. II. Diſſimilitudo eſt duorum l. plurium diuerſitas ſeu diſconuenientia, ſicut ſimilitudo eſt conuenientia.

Ab hac ita argumentamur, cum quod vni diſſimili competit, alteri competere negamus, & quod vni non competit, alteri competere aſſerimus, v.g. *Ignaui ciues Reipublicæ damna non curant, generoſi itaque*

& boni ciuis est ea propulsare. Clarius Catullus *Soles occidere & redire possunt, nobis cum semel occidit breuis lux, nox est perpetuo vnà dormienda.*

Cōtraria quid? Horū diuisio. RESP. III. Contraria sunt quæ non possunt eidem rei simul conuenire, propter eandem rationem; *Sic nemo potest in eà re sapiens esse, in quâ stultus est.*

Diuiduntur in quatuor genera & *primo* quidem in Aduersa; hæc sunt illa, quæ sub aliquo generali nomine comprehenduntur, & maximè secum discordant, nec in eodem Subiecto se compatiuntur; *vt calor, & frigus*, comprehenduntur sub nomine generali, *Qualitas*. Hæc aduersa dupliciter sibi opponuntur, vel ita, vt inter ea medium non detur: vt *Virtus & Vitium*: vel ita vt inter ea medium detur: *vt Albedo & nigredo*; nam datur inter ea flauedo, rubedo, &c. ab Aduersis argumentamur bene, si de quo vnum illorum affirmamus, de eodem alterum negamus, vt *Siquidem Petrum à conuictu meo alienum audis, quomodo*

1. *In Aduersa.*

Argumētatio ab his.

do mihi familiarem esse obieceris.

2. Priuatiua, quæ significant rem & absentiam rei, in subiecto apto habere eam rem: vt *auditus, surditas, lux, tenebræ, &c.* A priuatione argumentaberis, quando vnum priuatorum de aliquo negabis, & aliud de eodem affirmabis, vt *pauperiem optatis mihi, quia diuitias inuidetis.* 2. *In priuatiua.* *Eorum argumetatio.*

3. Relata sunt, quæ ad se inuicem ducunt ordinem: ita *Pater refertur ad filium, præceptor ad discipulum, & simile ad simile.* A relatis argumentamur, ex vi vnius inferendo aliud. v. g. *Discipulus diceris, quis ergo tuus est præceptor?* 3. *In Relata.*

4. Negantia sunt, quorum vnum id affirmat, quod aliud negat: vt *est bonus, non est bonus.* A Dialecticis contradictoria vocantur. Argumentum ab ijs sumitur: si vno negato aliud affirmetur aut è contra. 4. *In negātia.* *Argumētat. in ijs*

RESP. I. Repugnantia sunt, quæ secum nunquam cohærent: vt *Cupiditas nocendi cum amicitia.* Regula argumentandi ab his, hæc est, cui conuenit vnū repugnans, non conuenit *Repugnātia quid?* *Argumētādi regula ab his*

venit alterum: vt *si Petro animus est occidendi Paulum, quomodo cum diligit*.

Nota differentia. Obserua vero, quomodo Contraria, Dissimilia, Repugnantia differant: Nam Contraria illa sunt, quæ secum pugnant; Dissimilia non pugnant, sed solum diuersa sunt. Repugnantia vero sunt, quando vnum Contrarium ponitur & alterius contrarij effectus. *Vt amare & nocere: nam nocere ex odio profluit, odium vero contrarium amori est.*

Compar. quid & quotupl. RESP. V. Comparatio est vnius rei cum altera collatio. Est duplex *par & impar*. *Par collatio* est, quando duo æqualia secum comparantur. *Vt fefellit te, igitur & me falles*. *Impar collatio* duobus fit; primo, quando argumentamur à maiori ad minus: vt *Deus Angelo superbo non pepercit, quomodo homini parcet*: Secundo, quando argumentamur à minori ad maius: vt *Vnum scelus impune non tulit, multò magis ergo plura puniet*.

Argum.

Differt Comparatio à similitudine, quia in comparatione fit duo-

rum

rum collatio respectu tertij alicuius: in similitudine fit quidem duorum collatio, nō vero respectu tertij, sed vnum cuique attributum datur, v.g. *Licuti M. Antonio defendere Clodiū, cur Ciceroni non liceat defendere Milonem?* Ecce hic Cicero & Antonius conferuntur respectu tertij, nempe defensionis. Hic vero, *Sicut infirmi suauitatem cibi non sentiunt, ita improbi veræ laudis gustum non habent*: Hic infirmi cū improbis conferuntur, non est vero tertium respectu cuius conferātur, sed & infirmis & improbis suus gustus corruptus attribuitur.

QVAEST. VI.

Quomodo inuenienda sunt argumenta ex caussis, Effectis, Adiunctis, Antecedentibus & Consequentibus.

RESP. I. Caussa est id, à quo aliquid quomodocunque procedit; Est vulgo quadruplex. Efficiens, Materialis, Formalis, Finalis. *Caussa quid, & quotupl.*

Efficiens caussa est, quæ aliquid facit. *Vt sol diem.* Huc reuocantur etiam instrumenta & alia quæ non *1. Efficiens caussa.*

Argumẽtatio illi-us. solum faciunt aliquid, sed iuuant tantum facere; vt *Cadmus iuuat scriptionem*, Ab hac caussa sic argumentamur, negata caussa, negamus effectum, affirmata affirmamus, laudata vel vituperata, laudamus vel vituperamus.

2. *Materialis.* Materialis caussa est id, ex quo aliquid fit, seu circa quod aliquid versatur: *vt ex auro pecunia*; *Circa res omnes Orator*. *Argumẽtatio.* Ab hac argumentamur sic; data materia, potest dari effectus, sublata ea, tollitur *ex meliori vel peiori, melior vel peior*.

3. *Formalis.* Formalis caussa est, per quam res est id, quod est, seu per quam constituitur, & distinguitur ab alijs rebus. Ita *nauis & domus lignea per diuersam partium dispositionem differunt*. Ab illa sic argumentamur; *Argumẽtatio.* data meliori forma, melior res est, peiori peior, & res omnis suæ formæ debet proportionari seu adæquari: *Sic quia animus hominis immortalis est, homo immortalia quærere debet.*

Finalis. Finalis caussa est propter quam aliquid fit; & tria sunt vulgo propter

pter quæ agimus, & facimus aliquid, ſcilicet *honeſtum*, *iucundum*, *vtile*. Ab hac argumentamur iuxta hæc axiomata: qualis eſt Finis, talia ſunt, quæ deſtinantur ad Finem. Si Finis bonus vel malus, etiam quæ ad Finem referuntur bona vel mala ſunt.

RESP. II. Effectus ſeu Effecta dicuntur res factæ à Cauſis. Ab his argumentamur, vel inferendo Cauſam poſito Effectu, vel negando Cauſſam negato Effectu, vel commendando Cauſſam, ſi boni ſunt Effectus, vel damnando, ſi mali: Loci à Cauſis & Effectis copioſiſſimi ſunt fontes argumentorum.

Effecta quid?

Argumẽtatio ab his.

RESP. III. Adiuncta ſunt ea, quæ cum re ſunt coniuncta, ſed non neceſſario: Alia ſunt perſonæ, quorum Cicero duodecim numerat; Nempe: *Nomen*, *Natura*, *Victus*, *Habitus*, *Fortuna*, *Vita*, *Affectio*, *Studia*, *Conſilia*, *Facta*, *Caſus*, *Orationes*. Adiuncta rei communiter ſex dicuntur: *Locus*, *Tempus*, *Occaſio*, *modus*, *Facultas*, *Inſtrumentum*: Nonnulli ad Septem reuocant hoc verſu.

Adiuncta alia perſonæ.

Alia rei.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando,

Quis significat qualitatem personæ, in qua consideratur *natura, sexus, ætas, natio, cognatio, patria, fama, vires, forma corporis, dona animi, virtus, ingenium, &c. Bona fortunæ, diuitiæ, honor, naturales inclinationes, vt metus, gaudium, voluptas, mores, educatio, magistris, famuli, facta,* &c.

QVID significat negotij quantitatem, grauene an leue, heroicum an vile, periculosum, formidabile, &c.

VBI Locum denotat.

QVIBVS AVXILIIS Significat, cum quibus socijs, instrumentis, &c.

CVR significat caussam finalem, qua cupiditate, quo fine, &c.

QVOMODO modum indicat facti, quam facile quam grauiter fecerit.

QVANDO Tempus notat.

Et hic locus fertilissimus est Oratori.

RESP.

RESP. IV. Antecedentia ea dicuntur, quæ rem antecedunt; *Vt percussisti, igitur sentit.* *Antecedentia quid? & Cõsequẽtia.*

Et denique V. Consequentia illa sunt, quæ rem necessario sequuntur: *vt mors sequitur vulnus cordis*. Differunt ab Adiunctis; quia Antecedentia necessario cohærent cum Consequentibus, Adiuncta vero non necessario coniunguntur. Ab Antecedentibus argumentamur, posito Antecedente, necessario ponatur Consequens. *Argumẽtatio.* v. c. *Vulneratus est in corde, igitur morietur.* A Consequentibus vero, primo, afferendo Consequens, asseritur Antecedens: *vt magna cicatrix est, ergo & plaga magna fuit:* secundo, Negando Consequens, negamus Antecedens: *vt mortuus non est, ergo nec in corde læsus.* Et hi sunt loci Intrinseci argumentorum: Cęteros si alij porrigunt, vel ex his, vel in his sunt.

Praxis inueniendi argumenta ex iam prædictis, & enumeratis locis.

Nota quod omnis propositio con-

Proposi-tio ex qui bus con-ſtet. ſtet *Subiecto Prædicato,* & *Copulæ.* *Subiectum* dicitur,de quo dicimus, *Prædicatum* id, quod de alio dicimus. *Copula* eſt paſſim verbum Eſt, aut aliud coniungens Subiectum cum Prædicato. E. G. *Clodius ſtruxit Miloni inſidias.* Hic Clodius, eſt *Subiectum,* quia de illo dicitur: Inſidias ſtruere eſt *Prædicatum,* quia hoc eſt, quod de Clodio dicitur.

Subiectū & prædicatum quid.

Iam ergo cum argumenta inuenire voles, aduerte primum bene, quod in propoſitione tua *Subiectum* ſit, & quod *Prædicatum:* accipe deinde *Subiectum* & per omnes locos extrinſecos circui, primo ad *Definitionem*, & quære quid ſit,quæ natura eius, & quomodo ab alijs rebus diſcriminetur. *Secundo* perge ad *Partium Enumerationem*, & vide in quas partes diuidi poſſit; & ſic vltra perge ad alios, & alios locos. Semper vero quod argumentum inueneris ex *Subiectus*, ad nota tibi & cum *Prædicato* coniungens, & agnoſcens bene tuam propoſitionem confirmet; poſtea tibi exhauſeris *Subiectum*, accipe ſimili modo *Prædicatū* propoſitionis tuæ

&

& cum eo per locos deambula: Vel si res postulauerit, & melius iudicaueris, non diuisim cum *Subiecto & Prædicato*, sed cum *tota propositione* simul mente concepta, adi locos dialecticos, & argumenta quære. Noli verò anxius hærere in singulis locis, sed si in vno non occurrat, ad sequentem transi, non enim facile quilibet argumentum porrigit, aut si porrigit, non semper solidum est; Cæterum si scire voles, vtrum argumentum aliquod ex *Subiecto* an ex *Prædicato* fuerit sumptum, dispone illud in forma Syllogismi, & si videris *Maiorem* esse certiorem, puta sumptum ex *Prædicato*, si vero *Minor* fuerit verior, puta sumptum ex *Subiecto*. Postquam habueris argumenta probantia propositionem, eadem ipsa debes in certam Syllogismi formam ordinare (vt in sequenti capite docebimus) in tres communiter propositiones: *Maiorem*, *Minorem*, *Conclusionem*, Et tunc rursus eadem via, quam modo tradidi, pro singulis, si res egebit propositionibus, rationes quærendæ sunt, quibus

bus ipsę propositiones roborentur; & ad hoc valent potissimum, *Similia, Dissimilia, Exempla, Apophthegmata, Sententiæ*, &c. quæ omnia in promptu habenda sunt. Vt vero facilius obueniat Inuentio, consulendi libri sunt, qui de re tua de qua dicere vis, scripserunt, inter alios est. *Polyanthea*, *Theatrum vitæ humanæ & id genus alij*.

QVAESTIO VII.

Quid sit Acumen & an Oratori vsurpandum.

Quæstio. 1. p. f. Acuta quid sit Propositio, superius indicatum (si probe memini) quam breuissime: Nunc quid Acumen sit & an Oratori vsurpandum discutiendum Nauseat certe simplicitatem seculum nostrum, & quendam in stylo luxum requirit, vt iam fere Orator nõ audiat, imò luce non dignus, qui per Acumina vibrare Orationem ignorat. Loquamur itaque de Acuto, vt seculo nos accommodemus.

Acumen quid? RESP. I. Sicut materiale Acumen est duarum linearum, seu duo-

duorum laterum in vnum punctum concursus, & vnio ex vno fundamento proueniens: Ita Acumen metaphoricum est concursus seu discors concordia *Subiecti* & *Prædicati* in oratione. Alij sic breuius definiunt: Acumen est concors discordia seu discors concordia, h. e. tunc acutè loquimur, quando *Prædicatum* & *Subiectum* orationis ex vna parte secum conueniunt, ex alia vero parte secum disconueniunt. Exemplum habes in Martial. (Lib. 1. Epigr. 13.

Si qua fides vulnus quod feci non dolet inquit;
Sed quod tu facies hoc mihi Pete dolet.

Vbi vides *Subiectum* & *Prædicatum* concordare aliquo modo & discordare: *Nam vulnus proprium inquit non debet, alienum mihi dolet.* Discordat, quia contra Naturam est, vt alienum vulnus mihi doleat. Concordat vero, quia cum amici vulnus sit, dolorem & compassionem ex vulnere eius capio.

Triplex vulgo Acumen est, *contra Naturam, præter Naturam, iuxta Naturam.* *Acumen triplex.*

Acu-

Cōtra naturam. Acumen *contra naturam est*, quando conueniunt duæ res dissimiles, repugnantes, contrariæ & quomodocunque oppositæ; seu breuiter, quando dispar collatio *Subiecti*, *&* *Prædicati* v. g. (Biderman. libr. 2. Epigram. 69.)

Mutarunt elementa fidem, prius igne calebant
Omnia, nunc ipso frigus ab igne venit.

Contra naturam enim est vt ab igne frigus veniat, & tamen quia multi Virginitatem igne defenderunt, & libidinis ardorem restinxerunt, apte dixit Poeta, *frigus ab igne venit*. *Præter naturam.* *Præter naturam* Acumen est, quod non est quidem contra naturam rei nec tamen etiam est vsitatum, & naturale; sic Martialis;

Delitiæ populi quæ fuerant Domini.

Quia non est naturale & vsitatum, vt à Dominio ad plebem delitiæ transferantur, non est tamen etiam repugnans naturæ; dicitur ergo saltem; *præter naturam*. *Iuxta naturam.* *Iuxta natura*, acumen est, quod conuenit naturæ rei,

rei, vt Martialis: *Impensis vitam Principis annumeres: Quasi dicat, vita ciuilis Principi est in acceptis referenda*, est vero naturæ conueniens, vt Princeps vitam conseruet ciuium.

Est ergò Acuminis natura, vt *de Subiecto* prædicetur *Prædicatum, vel contra, vel præter, vel iuxta naturam*. Perfectissima verò illa Acumina sunt, quæ sunt *contra naturam*, quia magnam pariunt admirationem; admiratio autem non potest esse, nisi in vna re, vt dixi, fiat duarum rerum quomodocunque oppositarum concursus. *Perfecta acumina quæ?*

RESP. II. Acumina Oratori adhibenda sunt: Nam & Cicero de claris Oratoribus multos laudat, qui hac in re excelluerunt, & vituperat alios, qui nullo Acumine instructi fuerunt, & ipse Acuminibus sæpe vsus est. Hominibus tamen Politicis, qui sententiam in Republica ferre debent, videtur hic lusus ingenij, si sit assiduus, inutilis esse; seria enim ac plane ab eo expectantur, non verborum ioci, tamen nec ille prorsus *Orator adhibeat.* *Nota.*

omnia

omnia negligat, caueat tantum *obscura, nimia, affectata, leuia, aculeata* Nam si *obscura* sunt, quis intelliget, si *nimia*, obscuritatem inuehunt, si *affectata*, contemtum, si *lenia*, risum, si denique *aculcata*, odium parturiunt.

QVAERES.

Qui sint modi faciendi concordiam discordem Subiecti *&* Prædicati.

1. *Modus faciendi cōcordiā discord. per Epitheton.* RESP. I. Modus est, adponere Epitheton discordans ad *Subiectum*, sic facit Marcialis. Lib. 1. Epigr. 82.)

Quis neget curam esse te Deorum
Propter quam fuit innocens ruina.

Sic dicitur *Hermes optimus malorum seu optimus malus.*

2. *Modus per substantiuū discors.* II. Est, adponere ad *Subiectum* aliud *Substantiuum* discors, sic Poeta: (Bider.) *Tela videbantur, murus & agger erat.*

3. *Modus per Catachres.* III. Est, adponere *Catachresin* vel in *Adiectiuo*, vel in *Substantiuo*, vel in *Verbo*. In *Adiectiuo* ponitur *Cata-*

ta-

tachresis vt *Doctior in caussis nulla fauilla fuit*.Biderm.l.2.)

Sic illud Poetæ de Hildegunde,quæ pro fure abrepta non potuit alligari furcæ.

Iussus stringere funis innocentem

Iussis restitit improbis, gulæque

Insonti nisi parceret,vel ipse

Funis crederet esse se nocentem.

Sic in lite sua puella funem

Ipso est iudice nacta iustiorem.

In *Substantiuo Catachresis* est, si voces *Eleemosinam* v. g. *piam liberalis dextræ pluuiam*, *vel aureum pietatis imbrem in egenos*. In *Verbo Catachresis* est, si dicas, *hostes belli necessitatem & ardorem aquis accenderunt*. Id est animosius pugnabant, quia prope aquas pugnabant, vbi fugæ spes nulla.

IV. Est, idem *Prædicatum* de eodem *Subiecto* & affirmare & negare in diuerso sensu. Sic Poeta de S. Brigitta formam perdente vt pudorem conseruaret: *Et tunc credidit esse se venustam, post quam desiit esse tam venu-* 4. *Modus eodē prædicato affirmando & neg.in subiecto.*

venusta. Plures modos quisque suopte ingenio obseruabit.

QVAEST. VIII.

Vbi inuenienda sunt Acumina.

1. *Fons Acuminis.* RESP. Bonus fons Acuminis, redundat primum ex Locis Dialecticis: *Definition. Part. Enumer.* &c. Nullus enim fere tam sterilis est, ex quo si rem, de qua loqueris, circumducas, Acumen haurire non possis Sic: (Biderm.)

Quid facimus glaciata gelu si lympha negetur,
Ex oculis haustas funus habebit aquas.

Vbi docet aquam funeream nihil aliud esse quam lacrymas. Sic (Remundus) de Magdalena currente ad pedes medici Christi.

Me, precor ah: dixit, remorantibus obuia turbis,
Linquite; si morbum discere vultu? amo.

Longum foret ire per singulos locos cum exemplis. Scias tamen quod inter alios maximè locus à *Causa finali*, ab *Effectis*, ab *Adiunctis*, à *Contrarijs*, à *Repugnantibus* pro

ro Acumine fœcundus fit: Hic nim facile inuenitur consentaneum & dissentaneum aliquid *Subiecto*.

Secundus fons est *Paradoxum*, hoc est aliquid insolitum: quale est illud in Elogio: *Euntis Legati acies in veteres statuas & simulacra vrbis: hominum fere animos inuitauit*, id est, stupere fecit. Ad *Paradoxum* reuocantur hi loci ex facetijs desumpti, qui etiam Acumina porrigunt, Primo *Metaphora*, vt si *equum mutilatum labris ridere dicas*. *Secundo Paranomasia*; sic Poeta (Bidern.) de homine picto inter inferos: 2. *Fons acuminis.*

Iunge tuam tabulæ clamanti, quisquis es, aurem,
Ipsa sibi clamat væ! tibi vere caue.

3. *Etymologia nominis*.
Sic Poeta de S. Margaretha.

Vellet inops fieri, sed dum se possidet ipsam
Margaris; incassum credo feretur inops.

Et illud de S. Lucia excæcata:

Tu

Tu quamuis oculis carebis istis.
Dum sis Lucia luce non carebis.

4 *Narratio lepida & rara.* Exemplum habes apud Mart. de fure lib. 12. Epigr. 29.

3. *Fons acuminis.* *Tertius* fons est *Documentum morale*.

4. *Fons acuminis.* *Quartus* fons est *Ambiguum*, cum vox ambigue sumitur: sic Poeta (Biderm.) de flagello Christi sanguine purpurato.

Flagrum in Domini tergo protinus erubuit:

Et illud Poetæ.

Vis dici deuotus, & es Chrysamblice rutos.
Improbate coniux deuouet usque dies.

Item:

O mihi præteritos referat si Iupiter annos,
Horbe uoues, ioue uix est opus Horbe tibi.
Nupta tibi est uxor, quæ ut primum rixa coorta est.
Præteritos annos & tua facta refert.

Quintus fons est *ex figuris Rhetor.*

or. & *Tropis*, maxime *Metaphora, Allegoria, Catachresi, Metonymia, Prosopopœia, Traductione casuum, Interrogatione* & *Responsione, Optatione*, &c. Et hi fontes Acuminum ab alijs olim tradi solitorum, licet boni sint, nobis tamen nunquam satis limpidi & clari visi; Ideo ex tractatu de Acuto Lyricorum Regis Sarmatici alterius Horatij, *P. Matthiæ Sarbieuii* fere easdem praxes inueniendi Acuminis clarius tamen propositas quondam collectas, siquidem placet, sine inuidia cape.

Praxes inuenien di Acuminis.

Praxes aliquot inueniendi acuminis:

Prima.

Prima praxis est, quando rei attribuitur apte aliqua magnitudo, moles, maiestas, authoritas, amplitudo, vastitas, in sensu tamen dubio, & communiter inter realem, & moralem, v. g. sic moralis Philosophus (Seneca in Epistol. 66. in fin.) acutè dixit: *Scæuola confecit bellum inermis ac mancus, & illa manu trunca reges duos vicit*. Nec illud inuenustum est de *Attilio*: Nam *Attilius Regulus* cum contra *Pœnes* in Africa pugna-

pugnaret, *ad Senatum scripsit, mercenarium suum decessisse & ab eo desertum esse rus, quod Senatus publicè curauit, dum abesset Regulus.* De eo ergò sic Seneca: *Tanti fuit seruum non habere, vt colonus eius, populus Romanus esset.* Sic & illud Poetæ (Lucani) de morte *Pompeij Magni:*

> *Sed timuit strato miles ne corpore Magni*
> *Non fugeret, supraque Ducem procumberet orbis.*

Secunda. *Secunda* praxis contraria huic est, quando rei magnæ attribuitur paruitas; vel rei pretiosæ vilitas; in dubio tamen sensu inter realem & æquiualentem sic Seneca; (De ben. l. 2. c. 10.) *Video*, inquit, *istic mensas & æstimatum lignum Senatoris censu eo pretiosius, quo illud in plures nodos arboris infelicitas torsit.*

Sic de Domitiano muscas quotidie mactante dictum: Hostis fuit muscis, hostibus musca.

Tertia. *Tertia* praxis est, quando Acumen continet in se causam de facto vel certè in dubio sensu insinuat aliquam veritatem contrarij effectus:

Sic

Sic vir ille Sanctus: (Auguſt.) *Domine*, inquit, *tu implens ſubleuas eum, & quia ego plenus tui non ſum, oneri mihi oneri ſum*. Eſt & non leue Acumen, quando alicuius effectus realis datur cauſa moralis pro vera & reali.

Quarta praxis conſiſtit in ambiguo aliquo verbo, vel ſententia, itaut aliud vere ſignificet, aliud autem intendat ſignificare. Sic cum *Iulius Montanus* recitaret carmen ſuum, & incepiſſet, paulo ante deſcripto Solis ortu, deſcribere occaſum; quidam ex Schola incepit abire & cauſam quæſitus dixit: *numquid diutius illa audire potui, quam ab ortu ſolis vſque ad occaſum*. (Seneca) Sic crudelis quoque *Atreus* fratrem alloquitur *Thyeſten*, cui incauto filios dederat deuorandos. *Hic natos eſſe crede in amplexu patris, hic ſunt, eruntque; nulla pars prolis tuæ tibi ſubtrahetur*. (Seneca in Thyeſt.) *Quarta.*

Tale eſt & illud Poetæ.

Si fortè ſtultus per calumniam læſit
Curare noli; & vulnus omne curaſti.

Item illud in Fornicatorem, & bibonem.

Et liberis & libero assuete libera-
liter.
Dici, Magister Artium potes
Aulæ liberalium.

Item in Astrologum Poetatorem.

Non tu polorum regeris influen-
tijs, sed poculorum.

Item in Furem, Glauciam.

Omnes, quæ sua sunt, quærunt, vi-
tiumque putatur.
Ergò non quærit Glaucia, quæ sua
sunt,

Item in Medicum.

Non sinit in longo miseros putre-
scere morbo,
Absoluitque breui morte: beni-
gnus homo est.

Quinta. *Quinta* praxis est, quando attribuitur alicui rei inanimatæ aliquid, quod proprium est rei animatæ, ita tamen, vt totus sensus constet ex aliqua actione ad aliena attributa rei de qua loquimur. Sic *Plinius* de quodam post victoriam arante: *Gaudet tellus vomere laureato, & coli victrici Imperatorum dextera fructuum vbertate superbit.*

Et

t super verba Christi. *Ego sum x vera.* (Augustin.) *Ergo piger urge*, inquit, *via ipsa ad te venit, & te de somno excitat, surge & mbula:* Loquitur etiam acute, qui res naturales conuertit in arte ctas: Sic in nasum cuiusdam. Muret.)

Si tuus ad Solem statuatur nasus hiante
Ore, bene ostendet, dentibus hora quota est.

Sexta Praxis est, quando apte d, quod veris personis conuenit, attribuitur non veris: Sic lle: (Plaut.) *Semper oculatæ sunt manus nostræ, credunt quod vident.* Plurimum v. placet hic modus, quando simul, & vera & falsa persona communicant in eadem re: Sic Augustus Cæsar dicebat. *Duas se habere filias delicatas, quas necesse est tolerare, Iuliam alteram, alteram Rempublicam.* *Sexta.*

Alter adhuc modus hic subiungendus Acuminis inueniendi Caussa.

Alter modus elici endi acuminis, cōparando rem: Cōparatio triplex.

Est bonus modus inueniendi

acuminis, si rem compares cum locis oratorijs. Triplex autem potest esse comparatio huius modi; *Prima est*, si rem conferamus cum locis singulis separatim sumptis, cogitando quænam sit rei, de qua loquimur, *Definitio*, *quæ partes*, *quod genus*, quæ *adiuncta*, &c. Sic *Romanæ Eloquentiæ facile princeps Consulatum Vatinij acutè ridet per distributionem partium consulatus. Magnum*, inquit, Cicero) *portentum anno Vatinij factum est, quod illo Consule nec Bruma, nec Ver, nec Autumnus, nec AEstas fuerit*. *Secunda*, si ipsius rei vnum locum cum alio diuerso loco eiusdem rei comparaueris v.g. *Definitionem cum Adiunctis rei, vel Effectus cum Caussis*. Sic *Valerius Maximus* (Lib.6. cap.1.) ex comparatione materialis & formalis caussæ, id est, animæ & corporis, elicit Acumen de *Lucretia*; *Dux*, inquit, *Romanæ pudicitiæ Lucretia, cuius virilis animus, maligno errore fortunæ, muliebre corpus sortitus est*. *Tertia* est, si locos rei vnius ordinis comparemus cum alijs locis oratorijs eiusdem

iusdem ordinis, vt definitionem cum definitione, causam cum causa, &c. e. c. *Mucius Scæuola Regem quem armata manu non poterat, exusta fugat.* (Seneca) Hic Acumen est ex comparatione causæ cum causa, id est manus armatæ cum exusta.

Modus inueniendi Acuminis in locis Oratorijs.

DEFINITIO.

Ex definitione Acumina.

Definitiones acutæ sunt, quæ fiunt per contrarium: sic *Formam* descripserunt: *Regnum solitarium*; (Theoc.) *Dulcem Tyrannum* (Isocrat.) *dulce malum.* (Seneca) *dulce damnum.* (Theoph.)

PARTIVM ENVMERATIO.

Ex partium Enumeratio.

Hæc acuta fit, *Primo*, quando ostenditur, quod pars sit maior suo toto. Sic *Cicero* cum vidisset *Q. Ciceronis* fratris imaginem ingentib. lineamentis vsque ad pectus depictam, ipse vero Q. Cicero erat paruus. *Frater*, inquit, *meus dimidius maior est, quā totus*; *Secundo*, Quando res intrinseca in ordine ad aliquā mensurā cōsideratur ad exprimen-

mendam magnitudinem, vel paruitatem. Sic *Cicero* de *Dolabella*: *Quis generum meum alligauit gladius*. Tale est illud Martialis lib. 7 Epigr. 52.

Nunc Roma est, olim magna taberna fuit.

Tertio Quando aliquod magnum ostenditur includi in aliqua sui parte. Sic ille (Paulus Melissus) de *Venetijs*: *Quid pugnas Europam, Asiam Lydiamque, Neamque*:

Quatuor hac vna cernis in vrbe plagas.

Et illud de incarnatione Christi: *Vah! punctus ambit circulum* (Bauhaus.)

Et Martial. libr. 8. Epigram. 46.

Pars maxillarum tonsa est tibi, pars tibi rasa est,
Pars vulsa est: vnum quis putet esse caput.

Item in ebrium Appium.

Ininineis Appi iam regnat Bruma capillis,
Inque oculis semper vino flammantibus æstas,
Baccifer Autumnus pingit nasumque genusque

Cumque

Cumque bibit fiorum dulce illi ad
tempora Ver est,
Sic potans totum in vultu gerit
Appius annum.

CONTRARIA.

Locus contrariorum valde seruit acuminibus, quando idem omnino affirmatur, & negatur, salua tamen veritate dicti diuersimode intellecti. Sic de malo Principe Historicus, (Tacitus) *Omnia in eo Principe sunt, præterquam Princeps.* *Et* alter: (Curt.) *Hæ manus*, inquit, *sufficiunt desiderio meo, nihil habenti nihil deerit.* *Et* Philosophus: (Seneca) *Non persuadebis, etiamsi persuaseris.* *Et* Cicero: *Nunquam sum otiosus, quam cum sum otiosus.* *Ex contrariis.*

PRIVANTIA.

Acuta sunt, cum prædicatur forma de priuatione, vel certè quando aliquid proprium formæ tribuitur negationi formę. Sic P. *Mimus pars beneficij est, si quod peto cito negas.* *Et* illud: *Congesto pauper in auro est.* (Seneca.) *Ex Priuatiuis.*

Sic illud de inepto garrulo *Ne taces, nec loqueris, quia sic garris, v nemo te intelligat.*

REPVGNANTIA.

Ex Repugnantijs.

Acuta sunt, quando vnum de al tero prædicatur: v.g. (Seneca) *De parere libertas est*; Et alibi: *Miserum te iudico, qui nunquam fuisti miser.* sic de Nuptijs Honorij (Claud.)

Non odium terrore moues, nec frena resoluit.
Gratia, diligimus pariter paritérque timemus,
Ipse metus Te noster amat.

Sic: *Si diuitem dicas esse pauperem, eo quod aurum non habeat, de ipse habeatur ab auro.*

Sic & Poeta.

Cur oculis pollet surdus; cœcusque quid aure,
Ille oculis audit, auribus iste videt.

Sic & alter de Claudo & Cœco.

Claudum humeris cœcus claudus per deuia cœbum
Dirigit, hic oculos commodat ille pedes.

Quam

Quam bene cor cordes amor hos vniuit vt rosque,
Alter & alter homo est, sed tamen vnus homo est.

Tale est & illud Arabum dictum. Esto inter homines surdus audiens, caecus videns, & mutus loquens.

RELATA.

Ex his oritur acumen, *primo*, quando patienti actio attribuitur, agenti vero passio v. g *Beneficium dando accepit, qui digno dedit*, (P. Mimus) *Secundo*, Quando vna eademque persona ad se tamquam ad aliam refertur. v. g. *Tam autem eras excors, vt tota in oratione tua tecum pugnares ipse, vt non tanta quanta tecum tibi esset contentio.* (Cicero Philippica 2. in Anton.) *Ex Relatis.*

CAVSAE.

Materialis & Formalis, dabunt Acumen, si ostenderis, alterutrã alteri consentaneam esse & dissentaneam. E. C. de apibus Poeta: (Virg.) *Ex causis.*

Ingentes animos angusto in corpore versant.

Et: (Statius)

 Magna

Magna sub exiguo regnabat corpore virtus.

Et:

Rhetoris hæc Rufi statua est qui saxea; vera est.
Cur dicis? semper Saxeus ille fuit.

Efficiens Caussa & instrumentalis dabit Acumen, si ostendatur res dissentaneas efficere. Sic ille (Seneca) de quodam in rota ad supplicium vecto, caputque in rotam immissum frangente: *Eodem vehiculo*, inquit, *quo ad pœnam vehebatur, pœnam effugit*.

Sic Poeta.

Gignitur ex visu, non ergò Firmice cæcus.
Nascitur ex oculis cum generatur amor.

Finalis illa est acuta, quæ ab ipsa actione, quæ propter se exercetur, erit dissentanea & consentanea. Sic Marcialis: *Cur in theatrum Cato seuere venisti, ideone tantum veneras, vt exires*. Acute & ille pictor, teste *Botero*: qui iussu Prioris cuiusdam pingebat cœnam Christi in conuentu; cum moraretur & nondum finiuisset

De Pictore quopiam.

visset *Caput S. Petri & Iudæ*, accusareturque apud Ducem Sfortiam à Priore, dixit: sibi tantum duo capita pingenda restare, vnum S. Petri & aliud Iudæ proditoris, pro primo se iam habere inuentionem, pro altera Iudæ facie, si interea melior phantasia non occurreret, futuram optimam faciem Prioris, ideoque se tamdiu moratum esse, vt peiorem aliquam inueniret & inuenire non posse.

EFFECTA.

Ex Effectis.

Acumen faciunt cum iuxta se prorsus dissentanea sunt, & tamen vera; Sic Scytarum Legati coram Alexandro: *Fuga nostra victoria est, etiamsi vincamur, vincemus.* (Curtius lib.7.)

ANTECEDENTIA ET CONSEQVENTIA.

Ex Anteced. & Conseq.

Extruunt Acumen, quando inter se permutantur, id est, quando dicimus ea antecedere, quæ deberent consequi; & contra. Sic *Magnus* ille *Heinsius* (I.Epig.)de puero

in vtero Matris mortuo, cum ea-
que sepulto.

Sic tumulusque domusque fuit ti-
bi mater & ante
Quam natus poteras esse, sepultus
eras.

De quodam Prælato omnia per Vicarium faciente sic ludit quidam.

Ad noctis horas per Vicarium
surgis,
Horas diurnas per Vicarium can-
tas.
Animas tuorum per Vicarium
pascis.
Animos vinclis per Vicarium
soluis.
Conuexa cœli per Vicarium vi-
sos.

Item:

Omnibus amissis à tergo à fronde
capillis
Quid tibi iam restat perdere Cal-
ue; Caput.

Acutum & illud: *Tantum à se discordauit fortuna, vt cui defuerat ad victoriam terra deesset sepulchrũ.* (Paterculus in Pompeio.)

Ex comparatis.

COMPARATA.

Tripliciter acumen faciunt. *Pri-*
mo,

no, quando ea, quæ sunt maiora, fiunt minora. V.G. *Fratris propinquorumque extrema hora deseratur, & ad mortem muli concurritur* (Seneca) *Secundo*, Quando illa, quæ sunt minora vel maiora, fiunt paria. E. C. *Par est pauper nil cupiens Principi omnia habenti.*(Idem)*Tertio*, Quando illa, quæ sunt minora, fiunt maiora v.g. *Maius beneficium dat, qui gratè accipit, quam qui libenter dedit.*(Idem)Et hi fuere modi ex supradicto R.P.collecti, quos æqui consule. Pro fine tamen moneo, vt non morosè nimium his locis inhæreas acumen quærendo: Aliquando enim naturalis bonitas citius quam exacta diligentia illud porrigit, & artificiosa inquisitione interdum tardamus impetum animi sponte sagacem.

QVAESTIO IX.

Quomodo Orator acumina in Oratione ponere debeat.

Vt plenitudinem Doctrinæ de Acuto habeas, non erubesco meis scriptis inserere quadam ex decem præceptis orationis acutè scribédę, quæ

Orationis acute scribendæ Præceptum. quæ ingeniosissimus *P. Thomas Fabricius* quondam obseruauit.

Primum Præceptum est.

I. Vt acuta sit Oratio, tractetur dictum aut factum aliquod ita, vt ex occasione eius aliquid opponatur per modum additamenti sententiose, siue ex *caussis* siue *ex effectis.* Exempla dat *Seneca* (Epist. 119.)

Alexander. *Alexander Victor tot Regum & populorum iræ succubuit: id enim egerat, vt omnia potius haberet in potestate quam affectus, nec sciebat, imperare sibi, maximum imperium esse.* Et: *Post Darium & Indos pauper est Alexander, quærit quod suum faciat. scrutatur maria ignota; Quod natura satis est, homini non est. Inuentus est, qui concupisceret aliquid post omnia.* (Ibidem.) Et alibi; Seneca de Consol. ad Heluiam.

Socrates. ca. 13.) *Socrates eodem illo vultu, quo aliquando solus triginta Tyrannos in ordinem redegerat, carcerem intrauit, ignominiam ipsi loco detracturus, neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat.* Et: (Idem: Natur. quæst. l.2. cap 43.) *Regem prodesse*

etiam

tiam ſolum oportet, nocere non niſi pluribus viſum eſt: Ideoque antiquitus dictum; *fulmen quod ſolus Iupiter mittit, placabile eſt, perniciofum id, de quo deliberauit, & quod alys quoque Dys authoribus miſit, nimirum vbi aliquid percuti debet, ne Ioui quidem ſuum conſilium ſatis eſt.*

Secundum Præceptum. 2.

Vt acuta ſit oratio, ponantur ingenioſæ cauſſæ finales, ex occaſione facti vel dicti alicuius v. g. *Caligula optabat, vt populus Romanus vnam ceruicem haberet; vt ſcelera nimirum ſua tot locis ac temporibus deducta in vnum cogeret.* (Seneca lib.3. de Ira.) Et: *Da pauperi terram, vt accipias Cœlum, da nummum, vt accipias regnum, da pauperi, vt des tibi, da, quia quidquid pauperi dederis, Tu habebis, quicquid pauperi non dederis, habebit alter.* (Chryſologus Sermo. 8.) Et: *Magnus Paulus cecidit in via cecidit Iudæus, vt ſurgeret Chriſtianus.* (Idem Serm. 176.) Et: *Sol obſcuratus eſt, vt tanto ſceleri officium luminis denegaret, nec*

luce-

luceret eis lumen mundi, a quibus fuerat lumen salutis extinctum. (Ambros. Serm. 52.

Tertium Præceptum est.

3. Vt acuta sit Oratio, ponantur breues & ingeniosæ definitiones; V.G. *Vilis & tenuis & simplex mensa bonæ valetudinis Mater est.* Chrysost. tom. 3. Hom. 21.) Et *Morientem diuitiæ non sequuntur, sit ergo tibi pro conscientia tua, sit tibi panis vita tua.* (Chrysol.) Et: *Voluptas bonum pecorum amplectitur nos, vt strangulet.* (Seneca.) Et alibi: *Omnia ad quæ gemimus, tributa vitæ sunt, omnia ista in longa vita sunt, quomodo in longa via & puluis & lutum & pluuia.* (Idem Epist. 96.

Quartum Præceptum est.

4. Vt acuta sit oratio, ex occasione alicuius veritatis, ponantur vel similia, vel exempla, vel Hieroglyphica, vel aliæ veritatis sententiosæ. E. C. *Noli huic tranquillitatis confidere; momento mare vertitur, & eodem die vbi luserunt nauigia, sorbentur: Cogita posse & Latronem & hostem iugulo tuo admouere gladium,*

dium. (Seneca Epist.4.) Et alibi; *Vitia in aperto leuiora sunt; morbi quoque tunc ad sanitatem inclinant, cum erumpunt.* (Epistol.56.) Et; *Postquam docti prodierunt, boni desunt, docemurque disputare non viuere.* (Epist.95.) Et; *non cognoscitur bonum, nisi amissum, Sol spectatorem, nisi cum deficit, non habet; adeo naturale est, magis noua, quàm magna mirari.* (Senec.Natural quæst. l.7.c.1.)

Quintum Præceptum est. 5.

Vt acuta sit oratio, simile sententiosè ponatur. v. g. *Non est admirationi vna arbor, vbi in eandem altitudinem tota sylua surrexit.* (Seneca Epistol.33.) Et alibi; *Paruus pumilio est, licet in monte constiterit; Colossus magnitudinem suam seruabit etiam in puteo.* (Epistol. 76.) Sic; *Plures sunt, qui orientem, quàm qui venerantur Solem occidentem.* (Plutarch. in Pompeio.) Et; *In vino nimium veteri delectat etiam ipsa amaritudo.* (Lycosten.) Et; *Hedera inuenit, quo se alliget.* (Plutarch.) Et; *Apem propter aculeum nõ odisti, sed*

propter

propter fructum foues & tueris. Si
etiam; *Panem sume meum, sed no*
fac Bartholomæum. Schola Salern

6. *Sextum Præceptum.*

Vt acuta sit oratio, ita simile p
natur vt *protasis* & *apodosis* expri
matur, sed aduerbium comparat
uum non exprimatur. v.g. *Nec gu*
bernator otiosus in tempestate, ne
præceptor docens, & nō faciens quu
quam mihi prodest. Item: *Corpus to*
tum animo seruit, tota Respubl. Reg
Seneca Epist. 108.) Sic *Ferdinandu*
Imperator apud Reusnerum: *Boni*
viri & boni vini non est origo inqui
renda.

7. *Septimum Præceptum.*

Vt acuta sit oratio, simile ita po
natur, vt sit per modum *Apodosis*.
E.G. Non satis est opibus pollere, nisi
fortitudo accesserit; Nam & ceruis
frustra sunt ingentia cornua, cum de
sit animus (Plut.) *Et: Non accepimus*
breuem vitam, sed fecimus, nec ino
pes eius sed prodigi sumus; sicut am
plæ opes, vbi ad malum dominum
momento dissipantur; at vero licet
modicæ, si bono custodi traditæ sunt,
crescunt. (Seneca.

Octa-

Octauum Præceptum. 8.

Vt Acuta sit Oratio, ponatur veritas vna, in qua tanquam in fœcundo semine lateant plures veritates, v.g. *Non dicat homo, non habet manus mea, quod det pauperi, det ipsam manum pauperi, & plus erit ipsam dedisse manum pauperi, quam nummum.* (Chrysol.) *Et: Hoc habet virtus boni, quod stemma non inspicit, Platonem non accepit, Nobilem sed fecit.* (Seneca Epist.44.)

Nonum Præceptum. 9.

Vt Acuta sit Oratio, ponatur aliquid magnum, quod sit velut *Paradoxum*, insolitum, inexpectatum, & hoc ex modo dicendi, vel rerum combinatione, maximè verò fit per contraposita: Sic v.g. *Peccator cum terra sit, in Cœlum pugnat; cum fœnum sit, cum igne bella gerit; cum lutum sit, aduersatur ei, qui illum finxit.* (Chrys.) Item: (Idem de passione Christi.) *Actum est, vt Author seculi, seculo teste moreretur, & à mundo, mũdi Dominus prius per pœnam quam per gloriã nasceretur; Pax cœli traditur doli osculo, tenetur tenens omnia.*

omnia, illigatur omnium nexus, di-citur attrahens vniuersa, à falso a-cusatur veritas, sistitur, cui assistu-nt omnia. Iudæi gentibus tradunt, re-dunt gentes Iudæis, sicque commer-cium fit impietatis pietas, & sancti-tas in nundinas crudelitatis produ-citur, flagellatur remissio, con-demnatur venia, illuditur maiesta-, irridetur virtus, perfunditur sputi-largitor imbrium, clauis ferri cæli-stater affigitur, mellis dator cibatu-r felle, propinator fontium potatu-r aceto.

10. *Decimum Præceptum.*

Vt Acuta sit Oratio; ponatu-r sæpe concors discordia inter *Su-biectum* & *Prædicatum*, seu aliquo modo disconuenientia; quia-cum Acumen omne ideo gratum sit, quia admirationem parit & delectionem; videlicet delecta-tionem conuenientia, disconue-nientia admirationem dabit. Hæc autem concors discordia nascitur ex Tropis & Figuris, maximè *Metaphoris*, *Metonymia*, *Anto-nomasia*, *Allegoria*, &c. Et hæc de Acuto atque adeò de inuentione,

res

s ipsa nunc atque ordinis series
: dispositione agi postulat, qua
ropter hæc ipsa sequenti pertra-
:atur capite.

Cap. II.

DE DISPOSITIONE.

POsteaquam, quid dicere possis, inuenisti, naturaliter sequitur :ire, quo ordine dicere debeas, or-o enim vbique anima rerum est, : illud sequentibus edocetur.

QVAEST. I.

Quid dispositio, quotuplex, & quid Oratori disponentium.

RESP. I. Dispositio est rerum in-entarum in ordinem positio. Du-lex est, alia naturalis, cum quis eo rdine de rebus differit, quo factæ unt, aut quo fieri secundum natu-æ leges solent. Vt si laudares ali-quem & *Pueritiam* Primo, deinde, *Iuuentutem*, tum *cæteros ætatis gra-dus* traderes. *Dispositio quid duplex; Naturalis.*

Alia artificialis, quæ voluptatis gratia, aut vtilitatis diuersimode res miscet ac confundit, reijciendo initium in finem & finem in initiū; vt ita oblectet & suspensum teneat *Artificialis.*

Audi-

Auditorem, pendentes enim Auditorum animi ex inopinato euentu plus hauriunt iucunditatis: Sic disposuit *Aeneidem suam Virgilius*, in qua narrat Aeneæ discessum in Italiam non eo ordine, quo incepit. Sic ordinauit *Argenidem* suam *Barclaius*. Sic scripserunt quoque complures alij, qui non minus elegantia quam artificio ediderunt. Historias Gallica lingua iucundissimas scilicet. *Polexandre*, *Cassandre*, *Cleopatre*, *Polyandre*, quos breuitatis caussa hic recensere supersedeo. Sic tandem faciunt omnes ij, qui Tragœdias, & Comœdias per successus deducunt inexpectatos.

Aeneidos dispositio Virgiliana.

Argenidis itidē Barclaij & aliorum.

RESP II. Orator habita propositione videat *Primo*, an simplex sit, an partes habeat propositio & quæ pars Primo, quæ Secundo loco sit ponenda, vel tractanda potius. *Secundo*, Ex inuentis pauca ea, quę meliora argumenta seligat, & valida quidem initio, debilia in medio, fortissima in fine Orationis collocet, quia initio statim Auditor rerum cognoscendarum auidus præoccupari debet, &

con-

ɔmuinci, in fine vero valide com-
mari & impelli. Robustiora
item argumenta sunt ex *Defini-*
ɔne, ex *Partibus*, ex *Genere*, ex
aussis, ex *Effectis*, quia naturam
i explicant: Minus ponderis ha-
nt, quæ ex Adiunctis leuibus,
alijs Coniecturis sumuntur.
ertio Rationes, & Argumenta
sponat sibi Dialectice; Primo
Syllogismos, deinde videat
ıomodo oratorie eadem tra-
are possit; *Quarto* Videat, in
ıot partes Orationem debeat di-
ribuere; sed de his infra cla-
us.

QVAEST. II.

Quomodo Argumentatio Diale-
ica facienda?

RESP. Argumentatio est argu- *Argumẽ-*
ıenti dispositio, seu explicatio. *tatio Dia*
Constat, cum perfecta est, tribus *lect. ca*
ropositionibus, quarum, quæ Pri- *quid?*
ıo loco ponitur, vocatur à Diale.
ticis *Maior*, à Rhetoribus *Proposi-*
io; quæ *Secundo* loco ponitur, vo-
atur à Philosophia *Minor*, ab Ora
oribus *Assumptio*; quę *Tertio* loco
poni-

ponitur, dicitur à Dialecticis *conclusio*, à Rhetore *Complexio*. Et hæ tres propositiones, quando ordinatè ponuntur, vocantur *Syllogismus*, quem formare debes ex propositione tua, & causa eiusdem à Te inuenta, v. g. Propositio Tua fuit, *Clodius iure est occisus*; Argumentum, seu causa inuenta, *Quia fuit insidiator*. Iam forma Syllogismum ita: accipe causam hanc, & coniunge illam cum *Prædicato* propositionis tuæ, dicendo: *Insidiator iure est occisus*; & ecce *Maior*; Accipe deinde *Subiectum* propositionis tuæ, & coniunge cum causa eadem, & dic; *Clodius fuit insidiator*, & in promptu est *Minor*; denique pone ipsam propositionem tuam, dicendo: Ergò *Clodius iure est occisus*, sic fiet conclusio, atque adeo totus *Syllogismus*. Sic fac in alijs; semper autem cogita, quibus rationibus, aut exemplis, aut sententijs, aut similitudinibus *Maior*, vel *Minor* confirmari rursus debeant, maximè si probabiles tantum sunt, & debiliores. Nam si verissimæ sint, non probandæ sed exornandæ sunt.

Argumentandi praxis.

Vbi

[ti]bi hoc fecisti. Iam cogita, quibus [m]odis oratorie eosdem Syllogis[mos] [de]mostrades.

QVAEST. III.

Qui sunt modi argumentandi [o]ratorie.

Aliquot modos vsitatos tractan[d]i argumētum oratoriè hic pono.

Primus Modus.

Solet disponi Syllogismus eo or[d]ine, quo à Dialecticis ponitur, ita [v]t prius *Maior* sit cum vis rationi[b]us ac comprobationibus. Secun[d]ò *Minor* itidem cum suis ratio[n]ibus. Denique *Conclusio*. I. *Argumētādi oratorie modus.*

EXEMPLVM.

Fingamus Regem quempiam oc[c]idisse fratrem Principem ex am[b]itione regnādi. Et fiet propositio, [v]. g. *Rex deyciendus est*; Ratio, *Quia sceleslus est*: pone Dialectice [S]ic: *Scelestus nobis in regno ferēdus [n]on est. Rex est scelestus: Ergo in re[g]no ferendus non est. Ratio Maioris:* Quia famam læderemus nostram apud exteros, apud quos honesti & virtutis studiosi audiuimus, nunc sceleris patroni & serui diceremur. *An obscelus Rex deyciendus Regno. Contra Regem.*

D *Ratio*

Ratio Minoris: Fratrem occidendo fraudulenter ex ambitione in nos, & in naturam iniuriu fuit Oratoriè v. g. ſic tractari poſſet.

ELABORATIO.

Maior. Eoſne tandem ciues N. in ſcelerum amore progreſſus fecimus, vt ſeptrum deferre ſceleri ſuper capita noſtra & libertatem non erubeſcamus? Itane inter ſceleratos vt cenſeamur, principem in ſcelere, ſcelus in Principe diutius venerabimur? Miſeret me,

Ratio Maioris. proh dolor, ciues N. miſeret me gloriæ noſtri nominis, quam maiorum noſtrorum emptam ſanguine, ſic temere apud exteros incuria noſtra prodigimus, vt qui antea virtutum patroni, nunc ſcelerum mancipia audiamus. Ecquid dicent finitimæ, quid remotæ nationes. En, inquiunt, viri quorum rebus cum virtute geſtis orbis anguſtior erat qui amplecti nouerunt nihil, agere nihil, niſi quid limites, vel attingeret, vel non excederet honeſti: Ecce couſque in malitiam delapſi, vt proie-

cta

ta verecundia ſcelus in throno dorare non pudeat. Et quæ cœ- erorum ciuium facies? quis pro- :erum honor? ſi turpitudo in Diademate ſic volentibus trium- phat. Certe non poſſunt ſcele- ra non diligere, qui ſcelera pati & honorare voluerunt. Et haberet fortaſſe vmbraculum vt- cunque immanitatis ſuæ Rex no- ſter, ſi minoris ſubſelli ſcelus cru- entis manibus perpetratum poſſet gloriari; ſed in Principem fratrem, liberis omnium noſtrum vocibus ſceptro admotum, crudeliter ſæ- uijſſe, quid aliud eſt, quàm nobis & naturæ bellum indixiſſe, atque omnium gentium vna hac impie- tate offendiſſe tribunalia. Reuera, ſi ab aurora rectè diem deſcribi- mus, poſſumus non vani augures ominari, quem nobiſcum ſit actu- rus *Neronem* is, qui crudelitatem ſuam ſuorum ſanguine incepit ſa- ginare, & ibi Tyrannidis ſuæ ini- tium fecit, vbi finem ceteri. Qua- propter euigila generoſa Regis progenies, & ſi nominis tui, ſi glo- riæ publicæ iniuria vulneraris, throno ſcelus deijce. Audiat orbis, audiant poſteri, ſcelus in Regno

Minor.

Ratio minoris.

Comprobatio.

Conclusio.

fieri potuisse, impune abire in Principe non potuisse.

Secundus Modus.

2. *Argumẽtandi oratorie modus.* Interdum orator Primo loco ponit *Minorem* cum eiusdem rationibus; Deinde *Maiorem* & rationes illius; tandem *Conclusionem.*

EXEMPLVM.

Pro Rege. Sit propositio priori contraria, v. g. *Rex de Regno nec deyciendus nec occidendus ob commissum piaculum.* Ratio est: *Quia hoc faciendo famam nostram offenderemus:* Pone Dialectice ita: *Famam nostram lædere ciues non debemus. Sed si Regem throno detrudimus & occidimus famam nostram lædimus.* Ergo *Regẽ neque de throno deycere, &c. Ratio Maioris.* Quia fama diuitiæ publicæ nostrę & nobile Reipublicę patrimonium est, quod singuli curare debemus. *Ratio minoris.* Quia hactenus laudabamur, quod nunquam Principẽ deiecerimus aut occiderimus, ab hac gloria iam cademus occidẽdo Regem. *Comprobatio*; Quia Maiores nostri malos etiam Principes habue-

habuerunt, & tamen tolerarunt. Oratorie v.g.Sic tractabis.

ELABORATIO.

Optarem Ciues N.vt in posteritatem oculos conijcerent illi, qui crudeli suffragio non è throno duntaxat Principem, sed è vita execrãdo prorsus, & ausu nefario deturbandum decreuerunt, aduerterent vtique maiorem nostro nomini maculam sua temeritate, quam patientiam Principis infligi. Fit enim hactenus ea gloria pręcipuè nostra in pectoribus nobis libere Reges non in cunis nasci natos aurem nullibi maiori veneratione haberi; nec audiuit vnquam orbis Ducis sanguine nostras manus cruentatas fuisse, quod sicut supra reliquas nationes præconium singulare est, ita nostro studio perennare deberet. At modò si manus Principi inijcimus, nonne de fastigio commendationis deijciemur? & parricidæ cum reliquis perenni sarcasmo condigne celebrabimur. Vel Maiores nostros respicite, & ab eorum vestigijs recedere vobis sit religio. Vtcunque illi hero-

Minor.

Ratio minoris.

Comprobatio.

heroes in solio, homines tamen habuerunt, quorum omnium sine vitijs vitam fuisse, & neminem scelere thronum onerauisse, mihi verisimile non est; ferre illi nihilominus sceleratum, quam tollere, & nimia potius pietate peccare, quam furore voluerunt.

Maior cum ratione. Quid degeneres igitur famam dilapidabimus, quid in Rempublicam crudeles cruenta machinari sustinebimus? Nos, qui gloriam veluti publicas omnium diuitias & nobile regni patrimonium inter principes curas habere ab ipsa honestate compellimur; & alij quidem gladijs, alij recte factis, alij iustitia, alij clementia, tanquam quoddam honoris erarium debemus comportare.

Conclusio. Fuerit Rex in fratrem scelestus, nos in Principem sceleratos præcipitatio non faciat; nec rideat æternitas scelus alio scelere à nobis fuisse vindicatum; habeat locum apud nos sapientum parœmia; *Principem, si bonus est, audi, si malus tolera.*

Tertius Modus.

3. Solet non raro *Conclusio* primo loco,

loco poni, & huic *Maior* aut *Minor* subijcitur per particulas *Enim*, *propterea*, *idcirco*, *quapropter*, *&c.* Et si sequitur aliud argumentum, *Conclusio*, vel iam non repetitur, vel, si necesse est, repetitur: Quod si Oratio breuis sit, vt sunt plerumq; nostrates vernaculæ, ponitur denuo communiter conclusio, sed alijs verbis. *Argumētādi oratorie modus.*

EXEMPLVM.

Sit oratiuncula gratiarum actoria, cuius propositio est: *Debeo tibi magnas gratias.* Ratio: *Quia dedisti mihi dignitatem omissis alijs competitoribus.* Pone dialecticè ita: *Cui datur dignitas omissis competitoribus alijs, is magnas debet gratias; Sed mihi, &c.* Ergò. Oratoriè sic. *Gratiarum actoria dignitatis oblatæ.*

ELABORATIO.

Gratiæ, Serenissime Rex, quas pro collata dignitate Maiestati tuæ debeo, tantæ sunt, vt ne Verbis explicari, minus multò referri à me vnquam possint, cogorq; necessitate doctus, quod *Socrates* olim *Platoni* fecit, coram Serenis. Maiestate tua vsurpare: Qui cum parem *Conclusio.*

beneficijs facultatem apud se non reperiret, inopiam ingenue professus, *Socratem*, exclamauit, *pro beneficis, ò Plato accipe*: Non aliter ego amplioribus ornatus muneribus, siquidem tenuitas regiæ gratiæ non sufficit, me meosque tuæ Maiestati perpetuum deuotos in pretium beneficiorum adnumero.

Maior. An enim grandi obsequiorum debito obæratum se non sentiat is, ad quem de regia liberalitate promanauit honori multorum obuio sinu captatus, multorum precibus quæsitus.

Ratio maior. Certe cumulatur gratia ex uotis, & desiderijs aliorum, & in vno duplex pullulat beneficium, quando & petito honore exornaris, & ornato æmulis longe anteponeris.

Minor. Eccui vero aut obscurum aut dubium, quanti viri quam bene de Maiestate tua, quam egregie de Patria meriti, hanc præsentem dignitatem, & votis ad se & precibus tam suis quam suorum prouocauerunt, cum quibus ego, si in contentionem venire debeam, vix vllatenus meritis possem comparari. Sed tua Maiestas Serenissima animum

nimum meum semper Maiestati tuæ, semper Reipublicæ deuotissimum adspexit, humanitateque ac clementia, quod tenuitate defuit, liberalissimè expleuit. Quid iam polliceat nisi sollicite elaboraturũ, ut apud ingratum animum non collocauisse beneficium uidearis. Me igitur meaque studia, meos, meorum obsequia ad nutum & uoluntatem Serenissimæ Maiestatis tuæ humillime depono: Libeat imperare & uitam nobis imperijs tuis meliorem esse experieris. *Conclusio repetita.*

Quartus Modus.

Aliquando ponitur Primo loco *Maior* cum suis rationibus: Secundo *Conclusio*; Tertio *Minor* Quarto si uidetur necesse repetitur *Conclusio* Verbis alijs. *4. Argumẽtãdi oratoriè modus.*

EXEMPLVM.

Si v. g. Gratulari uelles in Aduentu uiri Magni & Regis cuiuspiam Legati, hanc faceres propositionem: *In tuo aduentu ad nos est gaudẽdum*; Ratio: *Quia vir magnus es*. Pone Dialecticè ita: *In aduentu viri magni gaudendum est*: *Tu vir* *Gratulatoria de aduentu viri M.*

 magnus,

magnus,&c. Ergò Oratoriè sic proferes.

ELABORATIO.

Maior. Nec sidera sine orbis gaudio, nec magni viri sine animorum serenitate transire possunt. N. N. Eam illis legem natura dixit, vt esse non possint, nisi prosint: Hanc pulcherrimam necessitatem virtus imposuit, vt magnis esse nullibi liceat, nisi ad minores fauor, & clementia inclinet. *Ratio maior.* Vtinam liceret hodie vel de lucida *Momi* fenestra omnium nostrum animos vicinius contemplari, videres vtique amorem cum timore, gaudium cum tristitia, vota cum Eloquentia, non ineleganti conflictu in pectoribus nostris concurrere; *Conclus.* Vt quando Te magnum hospitem salutamus, adhuc an Te metus noster amet, an amor Maiestatem timeat, aut gaudium de sua tenuitate tristetur, an tristitia de tuo aduentu gaudeat, an vota petorent, an Eloquentia faueat, dicere non possimus: Toti gaudium fieri, toti amor, toti votum, toti Eloquentia volumus, vt ani-

nimorum de Te adfectus coram Te dignè explicemus.

Et ſane Te magnum eſſe, non ſtirpis ſolum claritudo, non prudentia ſingularis, non omni humanitate mores, non virtutes duntaxat ceteræ perorant, quas niſi modeſtiæ vulnera timeret, in lucem facilè præeunte fama produceret facundia: Sed totius Regni iudicio Te magnum veneramur, quod cum hos dignitatis radios in Te poſuit, Orbi Te Sydus ſuum propoſuit. Magnum Rex noſter iudicauit, cum arcanorum Te conſcium, & regij conſilij non ſemel arbitrum voluit. Magnum quando te perſonæ ſuæ capacem, iterum atque iterum oſtendit, & hanc non per Germaniam tantum & Britanniam, &c. circumferre, ſed etiam in Regni ſui ambitu dedit, vt foris & domi Magnus habere. Magnum te & litteræ noſtræ fatebuntur, vel ex hac ſubmiſſione tua, qua illuſtrem vultum, & excelſum animum ad noſtram tenuitatem tam beneuolè inclinaſti. Magnos ſiquidem ſe demittendo creſcere nemo noſtrum eſt, qui ignoret.

Miner cum ſuis probationibus.

Quintus Modus.

5. *Argumentandi oratoriæ modus.* Aliquando omittitur *Maior*, & eius loco ponitur *Ratio Maioris* cum suis comprobationibus. Dein de *Conclusio*, tandem *Minor* cum suis probationibus, & vltimo *Conclusio* repetita. Pro hoc vulgare accipe.

EXEMPLVM.

Consolatoria in morte amici. Sit propositio: *Non debes in morte amicorum grauiter dolere*. Ratio est; *Quia mors est commune malum*: Pone Dialecticè ita: *In communi malo grauiter dolendum non est; sed mors amicorum est commune malum*; Ergo, &c. *Ratio maioris.* Ratio maioris est, quia malum commune vitari nequit; *Comprobatio.* Oratorie sic tractabis.

ELABORATIO.

Conclus. Quod vitari nequit patienter ferendum esse sapientes existimare. Ita enim fit vt alienum malum à nobis videatur, cum non sentitur. Male igitur profecto agimus, si animum nimio mœrori ob amicorum discessum damus, & veluti eodem fune-

Funere lętitiam cum amicis tumulamus. Non enim hoc malum ad vnum aliquem refertur, vnum petit, unum premit: sed in omnes pariter grassatur, uniuersos affluit. Ij enim, quibus cum viuimus, quorum uita fruimur, quorum ustro oblectamur, omnes eadem conditione deuincti sunt, omnes mortalitate damnati. Infirmum enim & debile hospitium animus noster incolit, quod & intra se pugnantia hostiliter Elementorum bella alit, & plurimis aliunde maximisque periculis oppugnatur. Perque egregie Seneca: In hoc multi erramus, quod mortem tamquam uenturam Præstolamur, magna pars illius transijt, atque hoc ipsum, quod uiuimus mors est. Diuide igitur dolorem omnibus, quem ex communi acerbitate fortunæ tibi assumpsisti: eodem in cursu sumus ijdem, omnibus tolerandum est, neque recte factum iudica, si animum doloribus nimis discerpendum ultro concesseris.

Ratio minoris.

Confirm. Exornatio.

Conclus. reperitur.

6. Argumētādi oratorie modus.

Sextus Modus.

Frequēter omittitur *Maior* & ponitur

6. *Argumẽtandi oratorie modus.* nitur ſolum *Minor* cum probationibus & *Concluſio*: dicitur hæc argumentatio *Enthymema*, cuius prima pars vocatur *Antecedens*, altera *Conſequens*. Ponitur verò, ſicut placet, vel primo loco *Antecedens*, deinde *Conſequens*; vel contra.

EXEMPLVM.

Iuuentuti indulgendum ſuaſoria. Sit propoſitio: *Iuuenes rigida diſciplina coercendi non ſunt*. Ratio: *quia rigore non fiunt meliores, ſed peiores*. Dialecticè omiſſa *Maiore*, pone ſic: *Rigore diſciplinæ peiores fiunt iuuenes: Ergo ſub rigida diſciplina habendi non ſunt*. Oratoriè ſic v.g.

ELABORATIO.

Conſeq. Erras & vehementiſſime erras, ſi diſciplinæ ſeueritate & timore iuuentuti rectè reliquæ ætati conſultum exiſtimas. *Antecedens.* *Ratio.* Nam in ſpeciem mitigari videntur, auſtero animo reuera efferentur. Inuoca experientiam, & ad ſui iuris libertatem dimiſſos, eos plerumque peſſimos inueneris, qui grauiori ſub diſciplina iuuentutem egerunt. *Exornatio à ſimili.* Veluti enim aquæ obiecto agere coercentur

ır vtcunque & collectis fluctibus: uiescunt, ubi uero obicem fregeınt, diuturnitatem otij ferociori npetu compensant; sic iuuentus ıb crudis pressa imperijs, posteauam legum claustra egreditur, nsolentius efferuescit,& non con.essus antea Sirenum illecebris, animos plenissimis conatibus imnergit: Nitimur enim in uetitum emper, & ardentius negata conupiscimus. Hunc animi morbum nelius aliqua indulgentia curauers:Nam ut optime *Naso* illud na. turæ compendium.

Quod licet ingratum est,quod non licet acrius vrit
Ipsa potestas
Semina nequitiæ languidiora facit.

Septimus Modus.

Ad *Herenniam* hic modus à *Cicerone* præscribitur:ut Primo ponatur *Expositio* seu res probanda.Secũdo,*Ratio* una seu plures. Tertio, *Comprobatio*; Quarto, *Exornatio* seu *illustratio à contrario* uel *Exemplo*,à *Simili*,*Testimonio*,*Sententia*, *&c.* Quinto, *Complexio* in qua totum colligitur; Modus hic facillimus est,& ad oratiunculas extemporales aptissimus.

7. *Argumẽtãdi oratorie modus.*

EXEM-

EXEMPLVM.

Medio-cris malitia iuuenti nõ nocet.

Sit propositio: *Breuis malit petulantia non nocet iuuentuti* tiones, *Quia non ideo dicentu tim mali esse. Quia homo bonus per esse non potest. Quia & So habet nebulas* Comprobatio: *qui modo senes sunt, petulantes runt, dum iuuenes essent.* Exorn à Testimonio; Quod Poeta dam dixerit: *Ver ex anno tolli ex iuuentute petulantiam.* A tentijs; *Quod quæuis ætas sibi uenientes debeat habere mores* Contrario; *Turpe est senem niliter agere; ergo & iuuenem i senis grauiter.* A Simili; *Nan cens cereuisia nisi insaniat, & depellat, nil valet imposterum.* torie sic v.g. tract.

Persuasoria.

ELABORATIO.

Exposit. Perfunctoria & breuis mal

Rationes. quid damni tandem Iuuentuti portauerit? An ideo aquam bib *Hispani*, quia uinum diluunt; a una caleat dies, æstatem statim fiebimus; & quis mortalium om bus horis sapiat. Solem adhuc

feli

elicem non vidimus ut diem
nterdum euntibus sursum terræ
narisque sudoribus non macula-
ierit; & in iuuenum vita mini-
num næuum tam religiosè per-
horrescimus: Quamquam
(Ignoscite liberius dicenti) pri-
dem, & nos vera rerum vocabu-
la amisimus, & quod petulantia
est, malitiam nouo Calepino ap-
pellamus. Quid enim est deam-
bulatione socia plateas coronare:
Vno uini, uel mulsi poculo cum
socijs indecoram iuueni tristitiam
mergere, vel amissas reuocare
vires, ludiere certamine alteri
cæsariem vellere, brachia bra-
chijs amico prælio fatigare, non
perpetuo doctorum in cœtu plan-
tis terram premere, nec semper
lucubrationibus inuigilare atque
libris impallescere, aliquando
risui, salibus, saltibus indul-
gere, quid inquam aliud nisi iu-
uentutis blandimenta sunt, &
defæcantis se ad maturitatem
ætatis certamina. Nimirum
nisi instructa frontiscena, Sa-
turnum induas, nisi damnatis
perpetuò ad terram oculis, lapides
omnes, & puluerem cõputes. Nisi
depo-

depoſita in humeros ceruice d
uotionis laruam præferas, Gy
ros iam & vltimam Thulen viti
ſus promeruiſti. Origidos iuue
Comprobatio. tutis Catones! O Cenſores Ma
lio iudice digniſſimos! vel i
ſuam relegerent iuuentutem
diſcerent vtique ex priſtina ſtu
titiæ ſuæ indulgentia ad noſtrā
Exornatio. aliquantiſper conniuere, nec au
derent violato iuuentutis priuil
gio naturam arguere, cum ideo
A Teſtimonio. ſit (vt bene Vates cecinit) Ve
ex anno, petulantiam ex iuuen
A Sententiis. tute tollere. Habet ſuos quælibet
ætas limites, & ſicut veſtimenta
A Contrario. corpori, ita mores annis con
gruere neceſſe eſt. Si vero pueri
lem Senem ridemus, cur non æ
quali arbitrio iuuenem vetulum
deteſtamur. Et quæ hæc crudeli-
tas eſt in aurora ætatis, grauitatis
meridiem deſiderare, & dum
vix prudentiæ crepuſculum adful-
get, plenum Sapientiæ diem exi-
gere. Equis certè iuueneſque in
primorum annorum libertate
incuriosos impetus effundere con-
ceditis, & adeo cœcæ mentes,
quod in ceteris animantibus vide-
tis, in veſtris pignoribus aut negli-
gitis.

itis, aut nescitis. Saltem ex Cere-
isia (vt mitissime dicam) verita-
em bibite, hac nisi à coctione iu-
enis petulanti tumultu auram,
olia, cellaria misceat, nec gustui
ec valetudini, vbi maturuerit,
rodesse poterit. Hic *Complexio*
oni posset, in qua hortatio fieret,
vt boni consulatur, vbi iuuentus
petulca fuerit.

Octauus Modus. 8.

Argumẽtãdi oratoriè modus.

Fit per *Inductionem*. Est vero *Inductio* Oratio, quæ præmissis non dubijs infert ex ijs tuum aliquid. Duo in illa obseruanda sunt: *Primo* vt ea, quæ præmittuntur, sint certa. *Secundo*, vt id, quod infertur, sit præmissis simile. Hæc *Inductio* familiarissima est Oratori, & ad ornandum illustrissima. *Suauiter instillat, inquit Causinus, & probando delectat, & si rerum, quæ inducuntur, magna sit multitudo, latissimum præbet campum Orationis.*

EXEMPLVM.

Cõmendatoria per inductionem.

Sit propositio: *Homo à se debet cõmẽdari, non ab extrinsecis bonis?*
Ratio:

Ratio: *Quia & nauis & gladius regula à se non ab ornamentis commendantur*. Oratorie sic Stat Seneca.

ELABORATIO.

Nauis bona dicitur non quæ p tiosis coloribus picta est, nec rostrum est aureum, nec cuius tela ebore cælata est, nec quæ fi aut opibus regijs pressa est; Sed bilis & firma, ad ferendum inc sum maris solida, gubernaculo p rens, velox & consentiens vent Gladium bonum dices, non deauratus est balteus, nec cui va na gemmis distinguitur: Sed cui secandum subtilis acies, & muc munimentum omne ruptur Regula non quam formosa, quam recta sit, quæritur, quodq illi proprium est laudatur: Igitur homine quoque nihil ad rem pe tinet quantum aret, quantum fœ noret, a quam multis salutetu quod pretioso incumbat lecto quam pellucido bibat poculo; quam bonus in se sit, &c.

Huc quoque pertinet illud Leg torum Scytharum, probantiū, Al xan-

ndro non esse nimis fidendum
agnitudini atque fortitudini per
ductionem sic : *Quid Tu, inquit,
moras arbores magna diu, crescere
na hora extirpari , stultus est qui
uctus earum spectat, altitudinem
on metitur . Leo quoque aliquando
inimarum auium pabulum fuit, &
rrum rubigo consumit , nihil tam
rmum est, cui periculum non sit et-
am ab inualido.* (Curtius.)

Nonus Modus.

Est argumentari per *Exemplum.* 9. *Argumētādi oratorie modus.*
Est autem *Exemplum* imperfecta
nductio seu argumentatio ab uno
imili ad aliud. Fit duobus potissi-
num modis: *Primo* per *Protasin* &
Apodosin rem explicando. Ita hæc
propositio V. G. *Dux belli debet li-
eras amare, sicut Iulius Cæsar fe-
cit*; tractetur sic : *Iulius Cæsar bel-
licis victorijs quam nomine clarior,
anto studio est litterarum ample-
xus eruditionem, vt gladium sæpe
calamo permutarit , & manum,
qua palmas hosti eripiebat, stilo im-
bueret.* Quis ergo *Principum*, quis
*Imperatorum litteras conuenire bel-
lo negare potest; imo si sanioris vti*

consi-

consilio non detractauerit, si omni boni Principis partes explere cupiet, has magno studio sedulus exercebit, &c. *Secundo* Argumentamur ab exemplo, quando post narratum illud rationes probantes vel reprobantes ei subijcimus: ita sicut in ceteris Orationis partibus facimus, post rationes vero subiunctas rem ad nostram caussam referimus, & in illa aut paritatem aut disparitatem ostendimus. Hic modus quotidianus est venustus. Sed obserua, pulcherrimum est vsum exemplorum (& idem de Sententijs, Apophthegmatibus, Hieroglyphicis, &c. dictum volumus) quando per illud siue a initio siue in alijs partibus Orationis eum sensum exprimimus quem alias nostris verbis exprimere deberemus V.G. *Vellem dicere cauendum est, Iudices, ne præmiorum spe ad Tribunalia accedatis* hoc exprimerem Exemplo. *Agathocles iturus ad Iudicem dicebat Eamus ad auream messem.* Deinde subiungerem rationem, quam essem subiuncturus meæ propositioni, V.G. *Improbè id quidem, qui ab alienis malis se ditari voluit*

Agathocles iturus ad Iudicem.

Plu-

Plutarchus.) Postea idem latius obarem & amplificarem. Posm etiam loco huius exempli vti a sententia V.G. *Non tanquam d nundinas eundum est iis, qui Magistratus sibi à Republica ha'nt commissos*: Eidem sententiæ ibiungeres rationes & probatioes vtiliores. Diligenter tantum ttendendum est, vt exemplum ut sententia illum ipsum sensum gnificet, qui eo in loco exponi ebet. Solet Exemplum & simici modo breuissime poni v.g. c: *Iulij Cæsaris fata exspectent yranni, &c.*

APPENDIX.

Appendix. *Ad Tyronem monita.*

Etsi modi prædicti oratoriè arumentandi summe vtiles sint & n praxi quotidiana præcipuè; Tyo tamen sciat *Primo*, non semper er dispositionem oratoriam ita rgumentum dilatari, sed aliquanlo, siue in membra, siue in vnam, iue in duas periodos Argumenum cum conclusione compingi tque ita commisceri, vt distinctè uidens non adpareat. V.G.

Si rotas omnes & omnem suppliciorum

ciorum crudelitatem promeruit il[...] qui deposito filij animo in amanti[...] mam Patriam sæuit viperino a[...] ctus; Quid Tu pœnarum exspecta[...] debes Catilina? qui dies noctesque [...] excidium Reipublicæ inuigilas, [...] quasi bonos sustulisse parum sit, [...] etiam & Deorum templis interitu[...] machinaris, &c.

Sciat *Secundo*, Quod, quan[-]do *Conclusio* ex antecedentib[...] satis intelligitur, tunc ab Ora[-]tore *Maior* aut *Minor* tracta[...] tantum debeat. Nam post sin[-]gula argumenta Conclusionem repetere esset *molestam Crambem recoquere*: Imo vero vt fasti[-]dium, & satietatem euitet, non eodem semper elocutionis passu argumenta tractet; Sed nunc rotundo circuitu ac pari[-]bus membris circumscribat, mo[-]do longioribus ambagibus dif[-]fundat Orationem, modo in [...] commata ac membra scindat. Ast de his paulo post aliquantu[-]lum fusius, cum de numero orato[-]rio agemus.

Sciat *Tertio*, Omissum esse à m[...] *Dilemma* (quod est cornutus Syllo[-]gismus, seu arguḿetatio ab vtraq[...] parte

rte concludens) eo,quod minus equēs sit apud Oratores,& à Syl-gifmis nihil differat , nisi quod c duæ partes ponuntur,V.G.*Vel erus est timor, vel falsus*; si *verus, scedo, ne opprimar, si falsus, abeo, t aliquando timere desinam*.

QVAEST. IV.

Quomodo partes Orationis dispo- debeant.

bi inuentam in certum ordinem gessit Orator, constituat apud se uas velit in Oratione partes pone :.*Quinque vero sunt secundum Ci- rontis Doctrinam partes:Exordiū, ropositio, Narratio, Confirmatio, eroratio*:Nam *Confutatio in Con- rmatione* comprehenditur : Scias imen non semper ponendas has sse:Nam ingeniosus Orator sicut xpedire videbit,aliquādo *Narra- onem* omittet,interdū *Exordium*, onnunquam *Conclusionem*: Imò *Confirmatio* sæpicule vix digno- itur, quando nimirum res certæ int, & non tam probantur quam rnantur, vt plerumq; fieri assolet officiosis Oratiunculis,*Gratula-* *Orationis partes.*

torijs, Salutatorijs, & *Similibus*, spectes *Dispositionem naturæ*, eo o-dine debent poni partes Orationis quo paulo ante numeratæ sunt, nil quod *Narratio* frequenter omitta-tur: sed de singulis enucleatius lo-quendum est in sequentibus.

QVAESTIO V.

Quid sit Exordium, & quale de-beat esse.

Exordiū. Exordium est facies, & atrium Orationis, in quo Orator animos sibi aptat Auditorum ad reliquam dictionem: Aptat vero tribus mo-dis, Videlicet *Captando beneuolen-tiam, Docilitatem faciendo, Atten-tionem conciliando*. *Captatio beneuolē-tia.* *Beneuolentia captatur*, seu fauens reditur Audi-tor vel ex persona ipsius Oratoris, vel ex Auditorum ipsorum; vel ex Aduersariorum; vel denique ex re & negotio præsenti. Ex propria persona captas beneuolentiam, si Te moribus Auditorum accom-modes, si modestiam preferas, si tua merita, dignitatem, virtutem modestissime enumeres, si (enu-meri debent.) Ex persona Audito-rum:

im:Si eorum in Rempubl. meri-
i vel in te vel in alios, aut digni-
item aut virtutes enumeres. Ex
aduersariorum persona,si eoruam
itia aperias, & Auditoribus in-
ensos facias, modeste tamen, &
quasi iniustè criminando eos: Non
nim grauis criminatio forte esset
lacitura. Ex negotio seu re pro-
osita, si dicas Rem celebrem esse,
ecessariam, vtilem &c. *Docilitas* *Docilitas.*
t, cum clare Orator aperit quid,
c de quo, & quomodo dicturus
it. *Attentio excitatur*, cum di- *Attentio.*
it se dicturum de magnis, &
nirabilibus, de iucundis, ne-
essarijs, pertinentibus ad Audi-
ores &c.

Vitia exordij sunt *Primo*, si sit *Vitia exordij.*
vulgare, hoc est, quod in diuer-
sis caussis vsurpatur. *Secundo*,
Longum, quod magnitudini Ora-
tionis totius non quadrat, & qua-
si verbis obesum intumescit. *Ter-*
tio separatum, quod cum reli-
quis Orationis partibus non bene
cohæret. *Quarto* translatum,
quod non efficit hoc quod caussa
postulat.

Bonum exordium est, quod elegãs *Bonum exordiũ.*
& venustum est, aptum rei propo-
 sitæ,

ſitæ, verbis & ſententijs concinnū faciens Auditorem docilem & beneuolum, & à quo non violentus nec coactatus, ſed facilis & connexus eſt acceſſus ad *Propoſitionem.*

QVAEST. VI.

Quomodo Exordia formari debeant.

Exordiū. Prolixe licet nimium in Exordijs occupetur *Cicero*, vt ſcilicet eiuſmodi ſint, ex quibus propoſitio cō nexè poſſit inferri: Attamē hęc optime docebit optimus rerum Magiſter vſus, & diligēs obſeruatio, quomodo Authores exordia in ſuis Orationibus confecerint. Solent tamen Rhetores certas formas præſcribere, ſecundum quas Tyrones exordiri recteaſſueſcāt, ex quibus quatuor tantum ſelectiores pono.

Prima.

Exordiū Formæ. Ponatur *Primo*, aliqua propoſitio ſeu *Protaſis*, à qua facile acceſſus fieri poteſt ad rem propoſitam. *Secundo*, *Ratio* ſeu *Confirmatio*, quæ & *refutationem* poteſt habere adiunctam, nam liberum eſt cuique, dum confirmat vera, refutare falſa.

Tertio

Tertio, Redditio seu *Apodosis*, quæ
alias Rationis corroboratio dici-
tur. *Quarto,Conclusio*, seu *Comple-
xio Exordij*, quæ ponitur post *Pro-
tasin* veluti aliquid particulare,po-
estq;illi etiam ratio addi & sic iam
fiet accessus ad propositionem.

EXEMPLVM.

Sit *Propositio*;*Volo famam meam,* *Exemplum.*
quam læserunt Improbi,coram vobis
Auditores defendere,ad eam sic pos
ses descendere. Nihil non violare *Protasis.*
solet malignitas, & adeo eximium
reperiri potest nihil, quod non è
vestigio aut Theonino dente ar-
rodat aut nigro contumeliæ sar-
casmate conspuat. Accidit hoc ex
infami seculi nostri genio,quo ple-
rique iam sine humanitate homi-
nes viuunt, & non contemnere
duntaxat, quæ cum virtute fiunt,
laborant,sed quæ ad honestatis et-
iam regulam facta vel audiunt vel
vident, verborum ludibrijs: siqui-
dem aliter non possunt,velut inie-
cta caligine opprimunt. Et nonne *Rationis*
pedetentim eo delabemur vitio in- *Corrobo-*
dulgentia nostra, vt improbi Mo- *ratio.*
mi familia in dies incrementum

 sumen-

ſumente nos ſingulos tandem h
neſti pudeat : ſiquidem ſcelera
triumpho cum plauſu ferri, viri
tes ad exilia , ad ſannas, ad o
condemnari impune adhuc & i
Compl. exordij. tuemur & patimur. Noluiſſem
ego primus hanc ſceleratorum
Camerinam commouere,ſed pr
cella, quæ ſuper caput iterato ſl
ctu incubuit, patientiam meam
vincit & nociturum me bonis a
bitror,ſi malis ignoſcam. Iam eni
non fortunas meas inuadunt,qu
Ratio cō-plexionis. per ſe miſerabile eſſet, non fund
diripiunt & ædes , quod nefariu
non vitæ inhiant & ſaluti , qu
pluſquam inhumanum;ſed fam
meam, ſed honorem, ſed opini
nem, probo cuiuis vita longè c
riorem, aggreſſi, plenis conuiti
rum plauſtris obruere machina
Acceſſus ad propoſitionem. tur. Vt igitur hęc improborum a
dacia per vos, Sapientiſſimi audi
ſemel reprimatur, dabitis grati
hodierna die, & me pro me dice
tem breuiſſimi temporis human
tate donabitis.

Secunda.

Intellige prius bene propoſiti
nem

nem tuam, de qua dicere vis; deinde deduc ex illa *generalem Rationem:* quæ si ex ipsis rei visceribus, tum hanc amplifica & exorna iam per *Sententias*, iam per *Exempla*, iam per *Similitudines* &c. Tandem subsume propositionem tuam, quæ sit quasi quædam particularis assumptio illius discursus generalis: Hæc forma Exordij in grauioribus Orationibus communiter adhibetur, etiam in Epistolis, dum rei, de qua scribunt, quosdam prius generales discursus ponunt per modum accessus ad rem scribendam pro Exemplo sit Exordium Orationis funebris olim in obitu cuiusdam Viri non Ignobilis compositæ.

Exordij secunda forma.

EXEMPLVM.

Super omnes omnino mortales iussa & confirmata de Cœlo viuit sententia, vt aliquando exeat, qui semel mundum intrauit. Quemadmodum enim viuis aquis sic morituris hominibus vno in loco consistere non conceditur: Trudit dies diem, annum deuorat annus, fluctus fluctum depellit: non

Orationis funebris Exordiũ.

aliter plane volentes aut nolentes de transitoria vitæ transitione tandem migrare & discedere vigemur. Fouemus namque animum in nostro humano corpore, teste *Seneca*, Deum hospitem: numquid vero Deus terram amare, quem alta trahunt; numquid hospes diuersorio affigi debeat, quem sui repetunt per naturam? *Pegaso alato Solis Eque hominem imponunt Aegyptii Sacerdotes*, nimirum quoniam tempus, quod volucri Pegaso exprimitur, portat quidem ac deuehit hominem tamquam equus sessorem, sed exigua mora per terram circumfert, mox enim quo loco non speraueris, quo tempore non expectaueris, de terris sub terras, de viuis ad defunctos subducit atque exportat, & more alitis freno regi aut voce reuocari non potentis ex sensibus euolat, & non rediturum discedit. Vellem cum vero pugnaret mea Oratio. Sed nimium esse veram, Illustrissimus iuxta ac Amplissimus Senator. N. N. duos ante menses luci Patriæq; surreptus exerte probat ac testatur. Probat inquam, exorta occidere,

Pegasus.

Accessus ad propositionem.

re, probat intranti exeundum esse, probat animum nostrum in corpore non regnare, sed peregrinari, non morari sed hospitari. Fuit, fateor, Vir ille ad summa omnia natus, ad summa designatus: cogente tamen ineuitabili necessitate fati, de summis viuorum apicibus ad ima mortuorum sepulchra iussus est descendere. Abijt è Sella Senator, abijt &c. Sed de funebri vrna fluentes oculos parumper transferre & spectata duce itineris virtute in Capitolium, æternitatis illustrius abiuisse, quam olim barbararum gentium Triumphator vrbem Romam inuectus est, intuebimini. Tu &c. O ventura olim posteritas, quem virum ante te habueris, quàm absolutum imitationis exemplar amiseris, tecum poteris sollicita expendere, &c.

Tertia.

Pone prius sententiam contrariã tuę opinioni, cum vel sine ratione; *Secundo*, Pone tuam sententiam propriam cum ratione vna vel pluribus, vel etiã sine ratione. *Tertio* *Exordij Tertia forma.*

 Solue

Solue rationem contrariam, si uidebitur id necessarium esse, & fac accessum ad propositionem, id est, pone sensum aliquem in præcedentibus locutionibus, à quo connexe propositionem tuam aperte vel occulte inferas. E. G. Sit propositio v.g. in aliqua oratione: *Nobili maxime conuenit Sapientia:* Hanc vt deducas, pone primo contrariam sententiam, nempe: *multi sunt, qui putant Sapientiam ad Plebeios tantum pertinere.* Ratio contrariæ Sententiæ. *Quia Nobiles ad bellum nascuntur non ad Scholam, & à fortuna commendationem habent.* Tua propria sententia: *Mala hæc opinio est, & refutanda*; Ratio, & solutio contrariæ; *Quia multum nocet Orbi.* Accessus ad propositionem. *Ostendam ergo Nobili maxime conuenire sapientiam.* Oratorie sic; præmissis generalibus sententijs de mutabilitate iudicij humani.

Nobilis sapientia prospicua.

Nobiles ad bellum nati.

Cõtraria sententia.

EXEMPLVM.

Nihil diu placet mortalibus, & alterno saltu honor & contemptus iudi-

ıdicia hominum ob ambulant; uodque suam modo Maiestatem ıper capita ceterorum protulisse idemus, euerso rursum ordine, ıiserabilem dedisse ruinam, om- ıiumque pedibus succumbere, ıon vno experimento discimus. Credidisset hoc contingere po- uisse quisquam, vt princeps ho- ıum sapientia, in Regum hacte- ıus palatijs dominata, & Templis d ignobile vulgus damnaretur; Ecce! iam illud viuimus secu- ım, quo factum prius inter fu- ıera ingeniorum dolemus, quam ieri potuisse arbitramur. Populi lamor est, & inter oracula Or- ıis noster recensuit, eos, quos maiorum claritate illustres in mortalitatis theatrum natura produxit, manu non lingua, pedi- bus non ingenio indigere, atque ıdeo ab ipsa stirpis prosapia Marti non Palladi initiari. Illos autem, qui ad tenuiorem proiecti sunt fortem, apud Musas debere for- tunam mendicare, & de caligi- nosa originis nube cum artibus e- mergere. Fatalis enim vero & re- labentis in barbariem seculi opi- nio, quæ consuetudine robusta ne

Ratio cō- trariæ o- pinionis.

Propria tua sētē- tia, & so- lutio con- traria.

remedij tandem impatiens fiat, rationum robore profliganda est, atque in annuis sapientiæ encænijs pro sapientia perorandum. Dicam igitur Auditores in hoc doctissimo consesso vestro, & omnibus quidem congruere sapientiam, imprimis tamen Nobili contendam, atque adeo *Nobilem sine sapientia oculum esse sine pupilla, ignem sine fulgore, Sidus sine lumine, demonstrabo.*

Accessus ad proposit.

Quarta.

Exordia Quarta forma.

Sumitur à *Sententia*, vel *dicto* alicuius, vel ab *historia*, vel à *fabula*, *consuetudine*, *legibus*, *Apophthegmatis*, *Adagio*, *Hieroglyphico*, vel ab *alia eruditione*. Tractari verò solet eo modo, quo *argumentatio ab exẽplo* tractatur. Exẽpla habes passim in *Mureto*, *Papiano*, *Vernulæo* & alia, quapropter his immorari supervacaneum: In omnibus vero videndum vt quam optime accessus ad propositionem fiat.

Nota.

Nota vero quod aliquando hæ eruditiones sumantur ex causæ visceribus, id est, de eadem ipsa re, de qua loquimur & tunc facillima

via

ia est ad propositionem. Aliquan-
lo sunt contrariæ rei, de qua dici-
nus, & tunc tractantur per reie-
ctionem, vt plurimum vero addu-
cuntur, & tractantur per modum
imilitudinis.

QVAEST. VII.

*Qui sunt fontes præcipui Exordio-
rum.*

Vt omnis cura circa Exordium attenuetur, duodecim fontes tantùm indigitant meliores Rhetores, è quibus liberaliter Exordia hauriantur. *Fontes Exordiorum.*

Primus Fons est.

Enumeratio Causarum, cum Orator causas dat, cur dicat, v.g. Dicturus de laude cuiusdam Herois, eiusmodi tibi faceres Exordium. *Non debes mirari, quod ego dicam: Hæ me causa impulerunt* (& hic causas adducit) Ergo dicam. Sic *Cicero* pro *Roscio*; item pro *M. Marcello.* *Primus.*

Secundus Fons.

Ab Adiunctis personæ, vel Oratoris ipsius, vel Auditoris, vel illius, de quo dicis: Exemplum *Primi* v.g. *Secundus.*

Lauda-

Laudaturus aliquem sic exordieris: *Maiorem hic quidem Panegyristen requirit Vir, tamē & ego loquor vt adfectum meum, et gratitudinem ostendam, quia benefactor meus est.* Exemplum *Secundi* v.g. Sic: *Licet tenuitas mea mihi silentium indicit, vestra tamen, Auditores, benignitas qua soletis dignari dicentes, me allicit, & inuitat; Igitur loquar* &c. Exemplum. *Tertij* v.g. *Demosthenem aliquem aut Tullium requiret hæc persona, si pro Maiestate laudari deberet; tanta enim & talia sunt, quæ ad laudandum in illa occurrunt: Dicam tamen quia instar silentij erit, pauca dixisse vel tenuiter.*

Tertius.

Tertius Fons.

Ab Adiunctis loci, v.g *Si loci dignitatem spectassem hodie non dicendum hodie susciperem vel à dicendo abstinerem* (& causas ponit cur) *sed ego magis vestrā humanitatē specto, aut rei necessitatem*: Ergo dicam.

Quartus.

Quartus Fons.

Est *ab adiunctis temporis* v.g. *Tempus desiderat, vt hodie dicam* (& causas subiunge.)

Quin-

Quintus Fons. *Quintus.*

Ab *Adiunctis personæ, loci, Tem-*
oris & *modi* simul. Exemplum ha-
es in Oratione *Secunda* Mureti,
d quem te remitto si lubet.

Sextus Fons. *Sextus.*

Ex hominum adfectu & opinione:
Nam aut lætantur homines aut
contristantur, aut dolent, aut iras-
untur, &c. Et ita variabis Exor-
lium pro adfectu & opinione ho-
ninum v.g. Dicturus de victoria
Regis diceres: *Communis gaudij*
bertas, quo omnium pectora implen
ur, meum etiam inundauit, & in
verba debuit emanare &c.

Septimus Fons. *Septimus.*

Adfectus quiuis grauior, quem se-
cum Orator adfert, siue ira, siue ad
miratio, siue dolor, siue gratitudo;
Sic Cic. Catilinariam incepit pri-
mam; Siue per inuocationem.

Octauus Fons. *Octauus.*

A difficultate rei de qua dicen-
dum est v.g. *Onus Aetna grauis hu-*
meris meis impositum est, cum de
hac re dicere debeo &c.

Nonus Fons. *Nonus.*

A purgatione sui, vel ab *improba-*
tione aduersariorum v.g. Si alicui
contra-

contradicturus diceres, Tibi non placere illius sententiam, adductisque rationibus tandem tuam sententiam subiungeres. Vel si aliquem accusaturus diceres, *Te non odio aliquo priuato aut animo nocendi adductum id facere, sed boni communis amore vel necessitate vel iustitiæ studio impulsum.*

Decimus Fons.

Decimus. Cum per *præteritionem* dicis posse Te quidem multa de aliquo dicere, sed nolle omnia, atque ideo vnum tantum eligere.

Vndecimus Fons.

Vndec. Ex ijs quæ iam præcesserunt, seu quæ ante iam dicta sunt vel facta: Vt si aliquem accusaturus diceres: *Non hoc est tempus primum quo hic reus factus est, iam ante criminibus obnoxius erat, sed tolerari potuit, modo iam vltro tolerari non potest.*

Duodecimus Fons.

Vltimus. Si compares & opponas sententias vel personas v.g. Si suadeas pacem, diceres: *Multi bellum, & sanguineum laborem volunt, ego vero existimo*

istimo, pace nihil melius nobis es-. Vel si conferas personas, sic: *Per-arunt quidem alij ante me Viri & gnitate & doctrina maximi, qui-s cum ego nullatenus conferri pos-m, quia tamen de Republica sermo, o quoque loquar.*

Potest hic vltimus fons esse à *si-ilitudine*, ab *eruditione*, à *consue-tdine veterum*, *fabulis*, *exemplis*, *ntentijs*, &c.

QVAEST. VIII.

Quid sit propositio; vbi ponenda r qualis esse debeat.

Propositio est pars Orationis, in ua Orator proponit, de qua re di-turus sit, & breuiter hortatur Au-itores ad se audiendum, si neces-um est. Ponitur aliquando statim ost *Exordium*, aliquãdo post *Nar-ationem*: debet autem esse breuis, lara & accommodata ad *Confir-nationem*, ne aliud sit *Propositio*, liud *Oratio*: Sed. *Propositio quid.* *Vbi ponẽda.*

Aduerte Primo, quotupliciter po-i possit Propositio, nempe *Primo Apertè*, quãdo Orator clare denun-iat, de quo sit dicturus. *Secũdo Oc-cultè*, *Quotupliciter ponenda.*

cultè, quando vel res, de qua sermo, nota est, & facilè ex c textu patet: vel quando id, qu probandum est, non tamquam p separata ab *Exordio* ponitur, veluti membrum eius adnex insinuatur, probandum tamen terius.

Quomodo distribuenda. Aduerte Secundo; Quod pro sitio, quando longior est, debeat stribui in aliquod partes, vt & O tor rem clarius explicet, & Au tor melius retineat. Sic *Cicero* p Lege Manilia: *Primum mihi vi tur de genere belli, deinde de mag tudine, tum de Imperatore delig do esse dicendum.*

QVAEST. IX.

Quid sit narratio, quotuplex quomodo facienda.

Narratio quid, quo-duplex. Narratio est facti vel rei gest relatio; *Duplex* est, vel separata pars narrationis, & communit statim post *Exordium* ponitur, ex illa *Propositio* cùm *Confirmatio ne* eliciatur: Vel coniunctim cu confirmatione ponitur, quod fit i illis Orationibus, quæ ad proba dam

ðam rem ipsius rei gestæ explanationem assumunt: v. g. *Si probares, generosum fuisse militem quempiam in bello*, *necessario deberes narrare gesta & facta*, *in quibus generositatem ostendit*. Iam verò in illa narratione, quæ vt separata pars Orationis ponitur, debet res gesta breuiter, & simpliciter sine exageratione narrari: In hac verò narratione, quæ confirmationem intrat, facta & gesta magnis, & collucentibus verborum gemmis, *Sententijs*, & *Figuris* illustrantur. Præterea adhibentur *Discursus*, *Aestimationes facti*, *Sententiæ*, *Acumina*, *Amplificationes*, præsertim ex *Similitudine* & *comparatione*. Denique vbicunque *Protasin* vel ex Historia vel Fabula constantem ponere voles, cui deinde subiungas applicationem, ibi debes *Narrationem* instituere, quod fieri potest in quauis parte Orationis, etiam *Exordio*: maximè tamen vigent hæ Narrationes in *Laudatorijs*, & *Vituperatorijs* Orationibus, vbi aliorum Virtutes, & vitia narrare necesse est.

Vt bona sit narratio, obseruanda *Vt si bona obser.*

1. da sunt hæc: *Primo*, Vt res nota breuiter in memoriam reuocetur; ignota prolixius narretur: *Secun-*
2. *do*, Vt narratio sit morata & affectibus plena, hoc est, vt habeat sententias aptas, & hominum mores exprimat; v. g. *Auari, Diuitis, Superbi* &c. Valent vero ad hoc *Hypotyposes*, *Prosopopœiæ* & id genus *figuræ*, tunc scilicet, cum inducuntur aliqui cogitantes, deliberantes, vel dicentes aliquid naturæ suæ & propensioni conforme. *Ter-*
3. *tio*, vt sit perspicua & clara; Erit vero talis, si longæ verborum ambages euitentur; si nimia rerum personarumque multitudo non ponatur veluti vno impetu; Si *Parentheses* crebræ & longæ & digressiones inutiles omittantur.

4. *Quarto*, vt sit probabilis; quod fiet, si *Circumstantiæ* congruentes, *loci*, *temporis*, *personæ*, *modi* ponantur. Insuper testimonia breuiter adducantur, licet narrans ipse probus fuerit, & fide dignus. Quod si occurrat quid minus probabile, præmuniendum est, siue causam addendo v. g. *Spreuit auarus diuitias*, *quia*

...a videbat sibi periculum immi-ere . Vulpes contempsit vuas, quod cauda decutere non poterat. ...iue confitendo, si non potest de-...nsio institui idque aut simplici-...er sic: *mirabile dictu, si fides ad-...benda Poetis: aut cum compen-...tione, sic: Mirum est, sed tamen ...erum.* Aut ad testes appellando ...c: *Caussam ignoro, sed ita viri gra-...es asserunt.* Siue petendo ab Audi-...oribus, vt in præsentia fidem ha-...ant ei rei, quam postea sis pro-...aturus.

Quinto, vt omnia narrata ...d finem propositum spectent, ...t ex ea probationes instituan-...ur. Porrò hæc maximè in re ...arranda obseruet; *Personas, ...em, tempus, locum, modum, ...aussam*, quæ vbique fere inter-...eniunt: non omnes tamen hæ ...rcumstantiæ semper exprimen-...æ sunt, sed prout iudicium sanum ...ggesserit. 5.

Narrationis vitia.

Vitia Narrationis supra ...ctis virtutibus contraria, ...nt: Nempe si sit de rebus no-...s prolixa, si non plena adfe-...ibus, si incredibilis. *Exem-...lum habes in Miloniana Cice-*

ronis

ronis. Mihi placet hic apponere nitidam Narrationem de fabrica Cosdroæ potentissimi Regis machina Crystallina, *in qua*, vt est apud Cedrenum (Ex Caussino) *mirum dictu, Cœli immensitas, Solis cursus, Lunæ labor, & æternæ conuersiones micantium Sydcrum cernebantur; aderant quoque machinæ, è quibus vis aquarum exiliret, quæ modo subirent in imbres, modo rigescerent in grandines, modo tumescerent in fluctus modo præcipitarentur in torrentes: Tum vero aer modo serenus, blanda velut Ethesiarum amœnitate ridebat, modo nubibus obducebatur, furebat procellis, micabat fulguribus, minaci fulminum terrore confundebatur: Ipse quasi Deus aliquis in medio collocatus, ad nutum compositos cursus recursusque stellarum contemplabatur, pluebat, ningebat, tonabat, fulminabat, permiscebat omnia. Simili profecto ratione animus in capite velut in arce positus sedet, & dominatur; Nunc*, vt ait Plato, *cupiditatum gynacea dispensat, nunc desideria, veluti volitantes prodromos*

Cosdroæ.

*s emittit , nunc furiales ira-
n exercitus è castris educit,
nc serena luce circumscriptus
iuius renidet , nunc varijs ad-
tum turbinibus totus circum-
epit ; atque cum talis, & tan-
t ipse sit , duas habet facultates
nnium præstantissimas , quibus
luti manibus rerum apprehendit
ecies , intellectum dico , & vo-
ntatem , hac in amorem fer-
r , & odium , illo vera di-
rnit à falsis , inuestigat , ca-
, cognoscit ; & si acutior fue.
atque solertior , vocatur In-
nium , cuius , Deus bone, quan-
velocitas , quam celeres mo-
s , & planè ignei ; vis disiun-
issimas terrarum partes pera-
are , iam peragrauit ; præcipis
ceanum tranare ? iam trana-
t ; iubes in cœlum euolare ?
m euolauit ; cupis detinere ?
on potes , quos enim obices op-
nes ? Pone terræ molem, pene-
abit ; pone claustra adamanti-
a, perrumpet; pone cœlum, perstrin-
t ; ad extremam vsque Naturam
ruadet , & si quid extra est , scru-
bitur.*

Aliud

Aliud Exemplum Narrationis.

Vt quærat aliquando stilus vi luxuriet, appono hic Epistolam in signem, & delicatam *ad Picum Mirandulam de Paulo Vrsinij filio lo, qua sic incipit.*

Fabius. *Filiolus est illi Fabius vndecim annos natus, insigni cum pulchritudine, tum virtute; flaui puero crines in terga molliter fluentes, alacres oculi, facies liberalis, vultus ingenuus, status elegans, decorus habitus, atque is militaris.*

Vt ergo discubuimus, canere quædam iussus notata musicis accentiunculis carmina, simul cum peritis aliis statim suauissima quadam voce si in aures nostras illapsus, imò vero in præcordia est, vt me quidem (cæteros nescio) pene extra me rapuerit; certe sensu tacito, diuinæ prorsus voluptatis cuiusdam affecerit. Pronunciauit heroicum deinde carmē, quod ipsemet nuper in Petri Medicis laudem composuerat; reges quale carmen; quale fere nec meum dici sanus recuse. Vox ipsa nec quasi legentis,

, nec quasi canentis, sed in qua
nen vtrumque sentires, neu-
im discerneres, variè tamen
out locus posceret, aut æqua-
, aut inflexa, nunc distincta,
nc perpetua, nunc sublata,
nc deducta, nunc remissa,
nc contenta, nunc lenta, nunc
citata, semper emendata, sem-
r clara, semper dulcis. Ge-
is non otiosus, non somniculo-
s, sed nec vultuosus tamen ac
olestus: Rosciolum diceres pror-
s aliquem in scæna versari. Po-
ılarunt quidam subito carmen;
: in prosam retexeret, & Ora-
one soluta totum rursus, vt ar-
ımentum colligeret. Cunctatus
ulullum quasi deliberabundus cæ-
t mox dicere verecundè qui-
em, sed tamen admirabiliter: Et
ıebant ex ore tenello verba le-
ıssima tanto cursu, quantum
cile nec stylus ipse suppeditat;
Aıraris hæc Pice; dabo aliud ma-
s, maiusque quod mireris. Im.
euerat hoc iam munus, & eum
ıter iusserat ibidem cibum capere
antem, non enim solet aliter; iam
ecundæ mensæ erant cum propo-
ere iubeor, quid & quæ Epistola-

rum argumenta velim , quas il-simul pluribus dictaret ex tempore : Proposui quinque duntaxat, non enim plura libuit , ne fortè puerum fatigarem , plura tamen ille blandè adhuc deposcebat Sed quæ proposui, nata ibidem sunt , varia, noua , quædamque ridicula ,sic , vt ad ea comparare se prius non potuerit . Collocati igitur quinque Librarij per ordinem cum stylis , & pugillaribus excepturi quod ille dictasset . Consistit puer in summo, terram intuens modestè , cogitat aliquantulum , mox tamen oculos attollit , imperat ei , qui summus consederat , vt iam scribat , vbi pauca dictauit , innuit & Secundo, dictat , & huic alterum argumentum , pergit ad cæteros deinceps, donec ad infimum : Rursus quoque ad primum reuertitur , sarciens quod omiserat , fulciens quod pependerat, diffidebat ibi nihil, claudicabat nihil ; ita sæpius in orbem remeans , Epistolas vno tempore, (quis credat ;) absoluit quinque. (Angel. Politianus l. 12. Epistol. 2.

QVAESTIO X.

Quid sit Confirmatio & quid in curandum Oratori.

Confirmatio est Cor Orationis, Anima,qua præcipuè viuit Oratio: Seu est princeps pars Orationis in qua producuntur argumenta ad probandam *Propositionem* nostram, & aduersariorum, si necesse est,refutantur. *Confirmatio.*

In hac quid curandum sit,ex dictis constare iam potest.Nam cum Confirmatio consistat ex rationibus inuentis & rectè dispositis; & quomodo inueniri, & quomodo disponi debeāt,iam supra diximus: Ut tamen vt totam doctrinam in compendium colligam. In *Confirmatione* curet Orator *Primo*,vt aliquod argumentum fortissimum in principio ponat,similiter & in fine *Confirmationis*, in medio vero deteriora collocet; *Secundo*, curet vt crescat semper Oratio, quod fiet, si verbis minus significantibus, magis significantia subijciat, si affectus circa finem maior erit.*Tertio*, curet ut singula argumenta *Curet Orator.* 1. 2. 3.

bene propositioné probent. *Quin-*
to, ne argumenta semper eod-
modo tractet, & vna forma: qu
fiet, si per varias figuras ea trac
uerit, & modo in *Syllogismum*,
do in *Enthymema* disposuerit, m
do *maiorem* omiserit, modo *Co*
clusionem: vt videbit expedire.
Quinto, curet vt agnoscat *Cri*
menon; Sed claritatis gratia.

PETES I.

Quid sit Crinomenon?

Crinomenon est illa proposi
in Argumentatione siue genera
siue particularis in qua est tota
vis, & qua probata, videtur t
res probari, quam inde Orat
maximè confirmare & declara
debet.

Sed nota I. quod aliquando C
nomenon idem sit cum proposit
ne totius Orationis, & tunc plu
argumenta diuersa adduci possu
ad probandam propositionem, v
sit hęc propositio: *Ostendam vob*
Audit. Quod Rex debeat amare s
ditos suos & Rempubl. Primum A
gumentum est, *quia Caput debet*
mare

re membra, *Rex est caput*, *sub*-
ṡ membra, Ergo ; Secundum
gumentum ; *Patrimonium su*-
ṡ quiuis debet amare, *Respubl.*
Regis patrimonium, Ergo ; Hic
des, multa adduci diuersa Ar-
menta ad confirmandam pro-
sitionem, quia hic Crinomenon
em est cum propositione Ora-
onis.

Nota II. Quod aliquando
rinomenon diuersum sit a pro-
sitione Orationis totius, &
nc vnicum argumentum prin-
pale in tota Oratione domina-
r, in quo confirmando, &
mplificando omnis industria
erti debet. Porrò agnosces
rinomenon si præcipuum ar-
umentum tuum in recta Syl-
gismi forma posueris; aliquan-
o enim *Minor* Syllogismi est
rinomenon, vt in Primo ar-
umento Orationis Milonianæ,
nsidiator iure est occisus; *Clodius*
ut insidiator. Ergo: Vbi *Maior*
erissima & notissima est, *Minor*
ltem probanda incumbit Cice-
oni, & probat eam per totam Ora
onem. Aliquando *Maior* est Cri-
omenon: Vt pro S. Roscio: *Nul*-

lus filius sine magna causa occidit [pa]*trem. Sextus Roscius est filius*, Erg[o ...] *Minor* huius Syllogismi verissi[ma] est; *Maior* ergo tantùm probari [de]bet, in ea enim tota vis est. Aliqu[an]do & *Maior* & *Minor* est Crin[o]menon v. g. *Cui bono fuit mors R[o]scij, ille occidit eum; Capitoni bo[no] fuit mors Roscij, Ergo*: Hic *Maior* [&] *Minor* indiget probatione. Itaq; in legendis Orationibus & in co[m]ponendis, Crinomenon est adu[er]tendum. Quando uerò Oration[is] propositio plures habet partes, t[unc] etiam Crinomena erunt plura.

PETES II.

Quid sit Transitio & quomo[do] vsurpanda?

Transitio. Transitionibus connectuntur a[r]gumenta Confirmationis, imò partes Orationis, ut bene cohæ[re]ant. Est autem Transitio Locuti[o] quæ, quod dictum est, paucis re[pe]tit, & quid dicendum sit, breui[ter]

Perfecta alia. exponit. Duplex est, perfecta & i[m]perfecta. Perfecta Trãsitio est, q[uæ] & dicta repetit, & dicẽda infert[:] si dicas: *Satis de necessitate arm[o]rum*

um dictum sit, iam quæ vtilitas inde veniat, videamus. Imperfecta Transitio est quando non reuocantur ea, quæ dicta sunt, sed tantum transitur ad dicendă per has uel similes particulas: *Quid; quod iam vero, & vero, præterea, adde, adiunge, sed enim, deinde, ad hæc* &c. Sed nota etiam tunc bene argumentum unum cum altero connecti, quădo in fine præcedentis argumenti ponitur aliquis sensus huiusmodi, à quo facile occasio porrigitur loquendi & argumentandi ulterius.

Alia imperfecta.

Debet Transitio esse elegans ex Verborum delectu & perspicua, quia per illam *beneuolentia, docilitas*, & *attentio* renouatur.

PETES III.

Quid sit Sententia & quomodo adhibenda?

Quia pulchrum est, quod aliquando Orator argumentum per modum sententiæ enunciet, ideo hic de illa disce, quod duplex sit Sententia: Alia aperta, alia occulta: Aperta sententia est ueritas paucis uerbis inclusa, seu est locutio uniuersalis de

Sententia.

Vel aperta alia.

bonis expetendis, de malis fugien-dis, de Deo, de Religione, de pro-uidentia, de rebus vtilibus, de ma-gnis, de admirandis, de dissimilibus & similibus rebus ad vitam homi-num moresque pertinentibus. V.g. *Nemo mortalium omnibus horis sa-pit*: Vel: *Veritatis vna facies est sem-per: Falsis, nulla constantia, varian-tur, & dissident.* Occulta sententia est Locutio singularis facta ex ge-nerali, adiectis circumstantijs *per-sonarum, loci, temporis*, &c. V.G. si dicendo: *Non potest fieri, ò Petre, vt omnibus horis sapias.* Vel: *Cum sis mortalis, o Cæsar, mortales iras ge-rere debes.*

Vel oc-culta.

Eiusmodi sententiæ occultæ fre-quentissimè debent esse in Oratio-nis quacunque parte, ornant enim mirifice, & capiunt Audientem. Apertæ etiam possunt esse, tamen hæ potissimum senibus conueni-unt, & experientiam habentibus. Vsus earum in rebus grauibus esse debet.

PETES IV.

Quid sit Digressio, & quando Oratori vsurpanda?

Hæc

hæc sæpe & pulchre confirma-nem intrat: Est autem tractatio diuersæ à proposito ad vtilitan causæ pertinentis. Solet poni breuiter,& tunc nulla facienda Transitio: vel longius & fusius, tum Oratio velut à longo deoque cursu reuocanda est ad opositum. *Digressio.*

Potest Orator vti digressione, m sermo incidit de rebus comunibus & vniuersim sumptis. v. *De vitijs,de virtutibus,de seruitu-,de libertate,de morte,de vita,*&c. c. *Probaret quis,literatum esse non ciendum ex vrbe,posset digredi in udes literarum, earum necessitatẽ tilitatemq; ostendendo.* Ad digresonem reuocantur rerum gestam expositiones, descriptiones *corum,personarum, morum,* &c.

PETES V.

Quit sit Amplificatio & quomoo adhibenda?

Amplificatio est Oratio, quæ id, uod simpliciter prolatũ parum idetur,auget, describendo ex adunctis, ex circumstantijs. Duplex *Amplificatio.*

est, Verborum & Rerum; de utra que sigillatim.

De Verborum Amplificatione.

Verborũ amplific. fit. *Amplificatio Verborum* est, per quam res uerborum delectu atque elocutionis genere augetur. Potest autem ex uno verbo undecim modis dilatari Oratio.

1. Additione aptorum Epithetorum; Sic Cic. *quod uno* BELLI *Verbo dici potuit*, dixit: *Horrificũ quoddam & nefarium atque omni scelere imbutum bellum.*

2. Aduerbiorum commoda appositione. Vt: *Iure ac merito laudari potestis.*

3. Definitione uel descriptione; vt: *Consceleratìonem ac perditorum manus pro sicariys.* Sic Cicer. *Cum debuit dicere: Sardius Clodii minister*, dixit: *Armiger Catilinæ, stipator Clodii, signifer seditionis, concitator tribunorum, damnator iniuriarum, percussor, lapidator, fori depopulator, obsessor curiæ.*

4. Notatione; vt: *Aureum illud os Chrysostomus.*

5. Cum una uox in duas secatur; ut:

t: *improborum furor*, pro *improbis*.

Synonymia; cum idem significantia multa ponuntur; ut: *hanc animorum coniunctionem, hanc in unum conspirationem, hanc iucundissimam vitæ atque sociorum societatem*; pro *amicitia*. 6.

Periphrasi. Vt, *id populi sermo in animis nostris iam ante defixit*, pro *iudicii ex populo*. 7.

Formarum enumeratione; ut, *Sanctissimus, prudentissimus, fortissimus, amicissimus Reipublicæ*, pro *optimo* Vel, *omnia contra mores legesque maiorum, temere, turbulenter, per vim, per furorem gesta sunt*, pro *nefarie*. 8.

Partium enumeratione: quando loco totius, partes ponuntur. Vt; *afflicto Senatu, perturbatis Equitibus, suspensa ac sollicita ciuitate*, pro *commota urbe*. 9.

Causarum Commemoratione, seu rerum antecedentium & consequentium; ut, *Hanc tu ferro ciuem & armis & exercitus terrore, & Consulum scelere, & audacissimorum minis, obsessione templorum, occupatione fori, oppressione curiæ,* 10.

domo & patria cedere curasti; pro *vi*.

11\. Adiunctorum frequentatione: vt *Frugum inopia, fames, vastitas, cædes, incendia, rapinæ, scelerum impunitas, fuga, formido, discordia*, pro bello.

De rerum Amplificatione.

1\. *Rerum, fit subsequentib.* Amplificatio rerum est, cum res ipsa grauibus sententijs augetur, & confirmatur. Fit ex ijsdem locis, ex quibus Argumenta sumuntur. Communiter tamen, cum Definitiones, seu descriptiones vnius rei multæ ponuntur: vt; *Historia est testis temporum, lux veritatis, vitæ memoria, nuncia vetustatis, magistra vitæ*. *Historia. quid.*

2\. Cum consequentia multa ponuntur, h. e. cum ea ponuntur, quæ consequutura sunt, vel quæ iam consequuta sunt: vt sit Propositio; *Neglectam libertatem multa damna subsequuntur*; hæc si amplificaretur, *Quid libertatem negligi patiemini? negligetur hoc pacto simul fortunarum cura, negligitur bonorum possessio*, *ne*

*egligitur fidelitatis tutela, negli-
itur ciuium defensio, contra furio-
rum hominum audaciam obiecta
ropugnatio, negligitur vita ac salus
ommunis, & latissimè panditur
ditus ad iniuriam, iam violentiæ
ine vitio, malitiæ sine iudicio, scele-
a sine accusatione, neces sine pœna
xercebantur* &c.

3. Cum contraria contrarijs op-
ponuntur. Verb. Grat. sit propo-
itio, *Caligula factus Imperator
urpissime vitam in peius commu-
auit*, amplificaretur sic: *O Tur-
e monstrum, & latens sub purpu-
a prodigium, quem virtus ex ser-
o Imperatorem fecit, vitium ex
Imperatore in seruum transforma-
uit; transit pietas in prauitatem, in
dium patientia, pudicitia in pu-
dorem, generositas in ignauiam,
humilitas in superbiam: comitas
n barbariem, liberalitas in prodi-
galitatem, sanctitas in Deorum
contemptum, gaudebat audire Do-
minus, & vitijs seruiebat, gaude-
bat salutari Deus, & Sacra propha-
nabat: pulcher miles, turpis Dux,
bonus seruus, malus Dominus, ante
Regnum sceptro dignus, in regno iu-
gum meritus; ante dominiũ omnium*

Caligula.

gra-

gratiam habuit, in imperio omnium execrationem. Idem *fortis, & ignauus, pius & scelestus in Patria Pater, & carnifex, custos ciuium, & oppressor*. Hæc pertinent etiam. *Repugnantia* & *Dissimilia*.

4. Cum causæ multæ conglobantur. V.G. sit propositio; *Nunquam fac, quod aliquando fecisse pœniteat:* hæc ita amplificaretur; *Quando id agis, quod dolore luendum est, impetu ageris, quo quid stultius? animo destitueris, quo quid miserabilius? furore raperis, quo quid imprudentius? futura non prospicis, quid periculosius? cupiditates non refrænas, quid indecentius?*

5. Cum multa effecta conglobantur. Verb. grat. sit propositio; *Antonius multa damna fecit Romanis*. Amplificatur sic; *Doletis tres exercitus populi Romani interfectos, interfecit Antonius; Desideratis clarissimos viros? eos eripuit Antonius, Authoritas nostri ordinis afflicta est? Afflixit Antonius*.

6. Cum multæ similitudines ponuntur, Verb. grat sit propositio;

Si

*i vitia, cum parua sunt, non cor-
iguntur, difficile postea, cum cre-
erint, emendantur.* Amplifica-
es sic. *Prohibete igniculos scele-
um, si conflagrare non vultis;
bstruite fontes, si violento fluctu
bripi non optatis; succurrite lan-
uori, si morbo extingui timetis.
Quemadmodum enim ignis de
arua scintilla ortus non raro in-
egras vrbes demolitur, quemad-
modum fluuius guttatim aggeri se
nfundens, vniuersam molem eruit
& euerit: quemadmodum leuis fe-
riculà ingentes morbos excitat, to-
tasque familias absumit: sic vitia
iuuenum, nisi initio opprimantur,
fortius radices agunt, donec om-
nem animi virtutem, omnem ho-
nesti ornatum turpissima labe con-
sciunt.*

Cum multa exempla adferuntur. 7.
Sic *Cicero* pro *Milone*. *Vteretur
eadem confessione Milo, qua Hala,
qua Nasica, qua Opimius, qua Ma-
rius, qua nosmetipsi, &c.*

A Comparatione fit pulchra 8.
amplificatio, ut, sit propositio. *Fru-
stra disputatur, vtrum literarum
studia an armorum potiora sint, cum
vtrinque maxima dignitas emicet;*
Am-

Collatio studiorũ cùm armis. Amplificaretur sic : *O super vacaneos eorum labores , qui literas armis oppugnant , aut literis contra armorum dignitatem abutuntur : desistit ab infestis contentionibus , vtrinque magnum decus , magna commoda , magna gloria emicat . Arma Deorum inuentum sunt , & à Vulcano fabricantur , literæ Deorum in proles , & Iouis cerebro prodierunt . Arma Bellonam colunt , Literæ Palladem . Arma ad fortitudinem , & audaciam animum exercent , Literæ mentem honestate & virtutis amore excolunt . Armatus ab hoste non facile vincitur , sapiens à fortuna . Armatus gladios & vulnera non timet ; Sapiens mortem contemnit ; Armatus res in manibus gerit , Sapiens in consilio , Armis dura franguntur , Sapientia emolliuntur . Arma in corpus potestatem gerunt , Sapientia in animum , Armis Rempubl. defendimus , Doctrina obseruamus . Armis libertatem propugnamus , Doctrina discernimus . Armis imperia distendimus , Doctrina & iure sub pace retinemus . Ab Armis robur , & vires Reipublicæ accedunt ,*

unt, à literis industria, doctrina, ars onatur. &c.

Pro pleniori Doctrina nota I. Quod omnes figuræ vehementiores ad Amplificationem valeant, præcipuè autem *interrogatio, Repetitio, Subiectio, Conuersio, Complexio, Apostrophe, Exclamatio, Hypotyposis, Sustentio, Etopœia, Prosopopœia, Communicatio,* &c.

Nota II. Quod necesse sit, ut cum amplificare velis Orationem semper ille versiculus ante oculos sit *Quis, quid, vbi, &c.* Quæ amplificandi Ratio tam singulis periodis, quam rebus potest seruire & videtur melior pro Tyronibus, quam per locos communes. Nec tamen requiritur, omnes hæ circumstantiæ vt exaggerentur, aut vt certo ordine, sed satis est, interdum aliquam vel aliquot adhibere, eo ordine, quo placuerit.

QVAESTIO XI.

Quid sit Confutatio & quomodo ponenda?

Confutatio est pars vel species confirmationis, in qua obiecta vel *Confutatio.*

obij-

obijcienda reijcimus, ponitur ue ante Confirmationem uel post il lam, uel etiam spargitur per partes in tota Oratione. Refutantur autem obiecta uel omnia simul uel ea prius, quæ prius obiecta sunt, & deinde ea, quæ posterius: Vel firmiora prius, ut ijs fractis leuiora sponte sua corruant: Vel leuiora prius, ut illis elusis fortiora infirmentur, & extenuentur.

Modus uero Confutandi est, ostendere id, quod ab aduersario dictum est, esse falsum, repugnans, impossibile, incertum, incommodum, non cohærens. Et quia Orationis pars est, plena caloris, & sæpe furoris, ideò admittit Dialogismos, seu collocutiones, *Ironias*, *Illusiones*, *Subiectiones*, *Interrogationes*, *Execrationes*, & alios adfectus atque uehementiores figuras. Sæpè autem reijcitur aduersarius contemptu, sæpe non ita rationibus quam uoce & gestu eluditur: Sæpe increpatione uexatur, premitur interrogationibus, sæpe similibus obiectionibus impetitur: sæpè id, quod ex nobis

quæ-

quæ fiuit, fine reſponſo emittitur: Sæpè reſponſum non ſtatim redditur.

QVAESTIO XII.

Quid ſit Peroratio, & quas habeat partes.

Peroratio, aliter Epilogus, eſt ultima Orationis pars, in quo debet accuratè deſudare Orator, ut aculeum in animis Audientium relinquat, eosque in ſuas partes pertrahat: Ideo figuræ uehementiores hic eſſe debent, & ădfectus motusque incitatiores. Duas partes habet potiſſimum. *Enumerationem, & Amplificationem*: *Enumeratio* requirit, ut Argumenta Orationis in contextu fuſius dicta, breuiter, clare, & noua Verborum uarietate repetantur, non iiſdem uerbis, ne cramben recoquas ad nauſeam. *Amplificatio* deſiderat, ut grauibus uerbis, ſententijs, figuris hæc repetitio fiat. Vult adhuc Cicero requirere *adhortationem*, & *adfectum pro peroratione*, ſed Amplificationi hæc includuntur. *Exemplum* *Perora-tio.*

Per-

Perorationis lege celeberrimum *in Ciceronis Oratione pro Milon.* Hæc Orationis pars vel ideò diligentius facienda est, quod communiter Orator tanti fiat, quanti æstimatur Peroratio. Eam enim tenaci memoria excipit Auditor, & ex ea de Nobis fert iudicium.

CAPVT III.

DE ELOCVTIONE.

INter quinque Rhetoricæ partes meo quidem calculo principem obtinet locum *Elocutio*, quippe parum est acutè inuenisse, parum benè disposuisse Argumenta, nisi eadem aptis, & idoneis verbis, figuris & sententijs ad audientium aures deuehas. *Ab Elocutione Eloquentia & Eloquentes dicimur.* Ab ea, quantum quisq; Orator possit, iudicium fertur. Est autem Elocutio idoneus verborum, figurarum & sententiarum apparatus; quia Eloquij est, omnia ea, quæ mente concepisti, ornata promere. Iam Elocutio, vt artificiosa sit, oportet *Primo*, vt sit *Latina*; *Secundo*, vt *Plana*; *Tertio*, vt *Ornata & apta* ad id, de quo agitur, de singulis enucleatius...

Elocutio.

QVAE-

QVAEST. I.

In quo consistat Elocutio Latina?

Cum de Latina elocutione agimus, caue putaueris Latinis, dumtaxat verbis Orationes efferri, siquidem vernacula & quauis lingua possunt combinari. Sed nobis, qui Latinitati nomen dedimus, inquirendum est de Latino sermone, ac barbare & insulse loquamur. Hoc vniuersim disce, vt, quacunque vsus fueris lingua, eius morem patrium sequare: *Est enim cuiuis linguæ suus genius, suus lepos*. Iam vero ille Latinam Elocutionem artificiose seruabit. *Primo*, qui verbis pure Latinis, & apud probatos Authores receptis vtetur, non peregrinis aut alterius linguæ, nisi forte consuetudine longa pro Latinis suscipiantur, vt sunt nonnulla Vocabula Scientiarum & Artium v. g. *Philosophia, Theologia*, & quæ cum artibus simul à Græcis ad Latinos transiuerunt. *Secundo*, is rectè loquetur Latinè, qui Latina vtetur constructione; quamquam publice constat non à Poetis so- *Latina.*

ſolum, ſed etiam ab Oratoribus maximè panegyricorum ſcriptoribus item Hiſtoricis Græcam paſſim conſtructionem & Syntaxin vſurpari, eſt quippe vere elegans & eximiè ornat, ut uidere licet apud *Paterculum*, *Saluſtium* & alios; Vt ergo eiuſmodi conſtructiones in legendis Authoribus & noueris & iudicioſe imiteris, oſtendam hic, quo modo *Helleniſmus*, ſeu quod idem eſt, *Graecanica conſtructio* in Latinis Verbis fabricari poſſit: Et quod docebo, ex Latinis probatis Anthoribus confirmabo.

Primus Helleniſmus.

Helleniſmus. *Nominatiuus* eleganter apud Græcos *Aduerbij loco* ponitur; hoc imitantur Latini dupliciter; *Primo* ponunt *Neutrum* pro *Aduerbio*, *Neutrum* tamen illud tranſit in *Aduerbium* & *Accentu* notatur v.g. *Acutum clamat*, *Acutum ludit* pro *Acutè* (Horat.) Et alibi: *Crudelè micat*, *dulcè loquitur*, *dirum minari*, *dirum inſonuit*. Silius. Et alibi: *grandè ingemuit*, *immanè fremit*, id eſt, *valdè*. (Statius.) *Secundo Rectum* ponunt pro *Aduerbio*, non *Neutrum*,

ſed

cuiusuis generis, ut *atrox in-*
t, i.e. *atrociter*, *matutinus veni*, i.e.
ne. *Vespertinus fecit*, i.e. *vespere*,
llus dixeris. i.e. *ne dixeris*. (Cice-
) Et hæc fiunt per *Enallagen*, fi-
ram, ubi pars Orationis una pro
era ponitur.

Secundus.

Apud Græcos eleganter ponitur
erbum inter *Nominatiuum* unum
Genitiuum alterum: ita ut apud
tinos inter duos *Nominatiuos*
let poni. v. g. *Fies Nobilium Tu*
oque fontium, id est, Tu quoque
s fons nobilis, (Horat.)

Tertius.

Adiectiuum Neutrum venustè iun
tur *Substantiuo masculino* aut *fœ-*
minino. Vt, *Varium, & mutabile*
mper fœmina; Et alibi: *Tutissimũ*
enitentiæ confessio: Et alibi; *Triste*
pus stabulis. (Quintilianus.)

Quartus.

Adiectiuum apud Græcos *Sub-*
antiuè ponitur & more *Substanti*
orum construitur: Latini eos pul-
hrè imitantur dupliciter. *Primo*
ponunt

ponunt *Adiectiuum* loco *Substan-tiui*, vt: *æquum* pro *æquitate*: v.g. Si Poeta (Virgilius) *Seruantissim æqui*, id est, *iustus*: *honestum* pro *ho-nestate*; *pium* pro *pietate*; *serenum* pro *serenitate*, *verum* pro *veritate* *sinistrum* pro *infelicitate*. Secund *Adiectiuum* ponunt in *Neutro plu-ralis numeri & Substantiuum in Ge-nitiuo*. V. G. *amara curarum*, id est, *amaræ curæ*. (Horatius) Sic *ardua rerum*, *incerta viarum*, *opaca sylua-rum*, *plana camporum*.

Quintus.

Eleganter apponitur *Adiectiuo Casus Genitiuus*, vt (Horat. Clau-dianus, Cicero) *Abstinens pecuniæ*, *Abundans corporis*, *Cæcus futuro-rum*; *Candidus Eloquij*, *doctus Choreas Literarum*, *Nimius ani-mi*, id est, *iracundus*; *nimius impe-rij*, id est, *Seuerus*, *nimius Sermo-nis*, id est, *Loquax*, *plenus fori*, id est, *inter lites versatus*; *plenus li-tium*, *animi*, *crapulæ*, *iræ*, *negotij*, *somni*, *timoris* &c. *parcus irarum*, *parcus cris*, reus voti, id est, *debet soluere votum*.

Sextus.

Verba

Verba admirandi, appetendi, a-mandi, priuandi, consequendi, parti-cipandi, aberrandi, incipiendi, domi-nandi, abstinendi, iunguntur apud Græcos cum *Genitiuo*; quod pręcla. Latini imitantur. v.g. (Virg.) *Ab-stine irarum. Callidaque rixa; desine tristium querelarum: Fallor animi* (Plaut.)

Septimus.

Adiectiuis Græci adiungunt *In-finitiuum*; hoc imitantur Latini. Sed rarè tantum Poetæ, & *Primo* ap-ponunt *Infinitiuum Actiuum*, seu *Neutrum Adiectiuo*, vt (Horat.) *A-micus ferre iugum; cereus diffluere, doctus ludere, durus componere ver-sus: Facilis dare, piger ire. Secundo Infinitiuum verbi* apponunt *Passiui* vel *Deponentis*, *Adiectiuo*; *vt audax perpeti; blandus loqui; celeres vehi prora, cereus in vitium flecti; mitior adspici frons: fluuius sedulus labi.* (Idem.)

Octauus.

Pulchre Latini imitantur Gręcos illa constructione, in qua *Verbum* aliquod apponitur *Infinitiuo*, quod fit dupliciter, *Primo* apponitur *ver-bo Infinitiuus Actiuus* aut *Neutrius verbi*: vt *Amo viuere tecum*; *descen-*

de promere vina. *Secundo* apponi tur *verbo infinitiuus passiuus* aut *de ponentis*, ut *amat dici*, *gaudet aspic annuit capi*, &c. (Horat.)

Nonus.

Multa *Adiectiua* laude, vitupera tionem, patriam, gentem, nomen uel partem significantia *Accusatiuum* regunt apud Græcos, item *participia & verba*. Latini imitantur hoc frequentissime intelligendo ante *accusatiuum particulam*, *Secundum*, *aut aliquid aliud*: ut: auctus opes id est, secundũ opes, cuncta pares fratres, id est, secundum cuncta, tecta caput nube &c.

Hęc sufficiant de constructione, plura colliges ipse legendo, pro fine tamen moneo, ut Orator se exerceat unam eandemque rem pluribus modis efferre. Deinde ex istis aptiorem seligat, sic copiam acquiret, & ad Latinæ linguæ gratiam perueniet.

QVAESTIO II.

In quo consistat plana Elocutio.

Plana Elocutio. Plana Elocutio est, quando uerba & modi loquendi ita clari sunt, ut

ab

Auditoribus facile intelligātur, ınè enim dicere, eſt clare dicere. nc illi ſub reprehenſionem ve-ınt qui,ut ſubtiles,& acuti uide-tur,orationes ſuas aut phraſibus inuſitatis uerbis aut ſenſibus ob aris, ita infarciunt, ut ad intelli-endum candela indigeas,certè ex emæ dementiæ eſt, loqui ad ali-iem,& ab eo nolle intelligi: Sua-tur tamen à doctis viris, ut iu-enes, quoad fieri poteſt, tumidè ribere & cum ingenij oſtentatio-e adfectent,omnemque ſuam glo am in ea ſitam arbitrentur,quod agnificè & phraſticè ſcribere poſ-nt, modo phraſes quærendo,ſen-ım & rē non perdant,facile enim, bi iudicium maturuerit,detume-cent,& medium inuenient. *Reprehendendi qui.*

Vt ergo planè loquaris,hæc qua-uor obſerua: *Primo* Longas pa-entheſes,& frequentes non vſur-a. *Secundo* Abſtruſas phraſes & nodos loquendi non vſitatos reij-e. *Tertio* Acumina crebra & ine-ta euita. *Quarto* Membra & pe-iodos ultra iuſtam menſuram on extende.

QVAEST. III.

In quo consistat ornata Elocutio?

Ornata Elocutio. Ornatus Elocutionis in multis spectari potest; *Primo* in verbis singulis. *Secundo* in verborum coniunctione. *Tertio* in numero Oratorio. *Quarto* circa incipientes Syllabas, & finientes periodum. *Quinto* circa figuras. *Sexto* circa affectus. Distinctionis gratia de singulis quam breuissimè sigillatim.

Quomodo ornatus in verbis singulis spectandus?

In verbis singulis. Verba, quibus Oratio conficitur, vel simplicia sunt siue propria; vel translata siue impropria. Simplicia & propria vt ornata dicantur, has tres virtutes habeant; sint vsitata, sonent optimè, rem maximè exprimant. Vsitata sunt illa, quæ à bonis Authoribus vsurpantur. Optimè sonant *primo*, *Superlatiua*; vt: *conspectus vester multo iucundissimus*. *Secundo*, *Verbalia*; vt: *dominatrix animi*

strimi cupiditas, pro *Domina*. *Tertiò*, *Composita*, vt: *consceleratus*, *constuprare* &c. *Quartò*, *Quæ habent plures Syllabas*, vt *tempestas* pro *tempore*; *moderatio animi* pro *modestia*. *Quinto*, *Quæ longiores habent Syllabas*; vt: *princeps* pro *primus*; *quamquam* pro *licet*. Vno verbo; illa verba sunt sonora, in quibus vocales sunt A O V Molliora & delicatiora illa, in quibus IE frequentius; quæ verò verba maximè exprimant rem, iudicio vnius cuiusque relinquitur. Ita *Clementia* melius exprimit quàm *leuitas*; *perditus* & *profligatus*, *quam malus*, *exterminare* melius quam *eijcere*; *trucidare* quam *occidere*: *excruciare* quã *torquere*, &c De alienis seu translatis nil attinet dicere, satis de ijs passim Rhetores.

Quomodo ornatus in Coniunctione Verborum spectandus?

In coniunctione verborum erit ornatus *Primo*, Si apta *Vocaliũ* & consonãtium structura seruetur. Quod ad vocales attinet: *primo Vocalium* concursus est fugiendus frequens: *Secundo*, ne eadẽ *Vocalis* & præce- *In verborum coniunctione.*

 dens

dens uerbum finiat, & sequens inchoet, exasperat enim Orationem v. g. *amplissima actio oritur*: maximè tamen hoc uitandum est in A & E. ut autem hoc fiat, natura *Vocalium* est cognoscenda: Ergo concursus A & E faciunt orationem hiulcam v. g. *ad eam arma accingimur*. A & I obtusam, ut, *diligentia inimicum vicit*; A & V insuauem, ut, *Sylua teritur*. E & A minus dissonant, ut, *tua voluntate ad bellum iui*. I & A suauius audiuntur ut, *prostrati ad pedes iacent*. O & A insuauia sunt, ut, *æquo animo tuli*. O & E mollius concurrunt, ut, *reprehensio exigua non nocet*; O & I absona sunt, ut, *sine modo iniuria*. V & A pulchrius sonant, ut, *vrbs adscensu ardua*. *Tertiò*, *Vocalium* breuium, & tenuium uitanda est multitudo, ut, *speciei*, *progeniei*. Sed in his nec negligentes nec diligentes nimium esse oportet, alias singulorum uerborum singulas Syllabas anxiè inspicere, quæ tandem Oratori libero & quam intolerabilis esset seruitus!

Quod *consonantes* concernit, bene

ne monet Rhetor, asperũ esse concursum, si S præcedens uerbum finiat & X sequens incipiat; ut *Exercitus Xerxis*: Item si S incipiat, & S finiat, aut si X finiat & incipiat; ut *Ars studiorum, Rex Xerxes*. II. erit ornatus in coniunctione uerborũ, si monosyllaba multa non ponantur simul. III. Si nomina aut uerba breuia multa non continentur, sic enim compositio fit minuta & cõcisa. IV. Si nec longa uerba multa in unum conglobentur, adferunt enim tarditatem, plura lege apud *Soaret*. lib. 3 Cap. 33.

Venustam etiam facit Orationẽ, quando uoces certæ, uel anteponuntur uel postponuntur, quod in Oratorib. passim obseruare potes.

Quomodo ornatus sit in numero Oratorio spectandus.

In numero Oratorio.

Numerus Oratorius est quædam mensura & uocum coordinatio; ut hæ longis breuibusque Syllabis constent; quæ uoces uel partem sensus faciunt, uel aliquem sensum, sed pendentem, uel perfectum, & integrum. Si uoces aliquæ partem sensus

 faci-

faciunt, vocatur *Comma* seu *incisum*, si aliquem sensum, sed pendentem, vocatur *membrum*, seu *colon*, vulgò *duo puncta*: si perfectum, & integrum, *periodus* vocatur. *Comma* est pars sententiæ seu elocutionis ex duobus vel pluribus verbis constans, nihil adhuc perfecti & absoluti significans v.g. *Etsi vereor*, *Iudices*, *Duplex est comma*, aliud est *membri actualis pars*, aliud *pars membri potentialis*: notatur *comma* virgula per modum mediæ lunulæ inuersæ (,) vt quotidianus docet vsus. Longitudo eius proprie sumpti, ad septem Syllabas longas extenditur, aut ad breues quatuordecim, quia cum longa quæuis Syllaba duo faciat tempora, possunt pro vna longa breues duæ substitui: Sed in Syllabis numerandis terendum tempus non est aures enim tersæ & politæ de omni superfluo & defectu facilè ferunt iudicium: Et hac in re optimus magister est vsus.

Comma quid.

Quotuplex.

(*)

CA-

CAPVT IV.

DE MEMORIA.

MEmoria est facultas animę retinens ea & conseruans, quæ ognouimus & impressimus: pulare à Cic. *Thesaurus & sinus ani-u dicitur* à Causino, *horreum men-s*; ab alijs *Aerarium ingenij, quia in la, quæ volumus, deponimus*, vt *pro mpore recipiamus*. De hac multum qui consilij mei non est, siquidem contenti esse debemus, quam à Deo accepimus; nec vllus sibi per præcepta, si caret, formabit. Solent amen Rhetores multa suggerere uxilia; vt, quam natura nobis conessit Memoriam, excolamus, amlificemusque; Suadent omnes & ocent, loca sibi quædam fingere tque imagines, siue nota ædificia, iue castella, siue alia spatia quæunque concipere animo, atque n eorum partibus certas rei diendæ partes collocare, vt sic viiaut reuocata loci parte, statim ccurrat pars rei, de qua dicenum est, & hanc illi *Memoriam ocalem*, siue *artificialem* appellant,

Memoria.

Localis.

lant, eamque Rhetoricæ partem esse volunt: Vtatur hac ope qui volet; mihi præsentiora uidentur auxilia, quæ sequuntur.

Primo: Vt Orationem commendaturus memoriæ, post inuocatam Dei opem, semel totam prius legat, ut quasi confusam eius habeat notitiam; deinde per partes ediscat, nec facile saltet ab una parte nondum plenè possessa, in aliam. *Secundo*, Quia tempus matutinum longè commodius est ad ediscendum, quàm meridianum, & Vespertinum, ideo illud curæ fit: tamen per quam utile est pridie vesperi prius quam dormitum concedas, semel & iterum percurrere ea, quæ postridie sunt ediscenda.

Tertio, dicerem, ut curet intelligere, quia intellecta facilius hærent & fortius, sed Rhetori loquor, qui sine dubio nihil declamabit, quod non intelliget.

Quarto, proderit multum ex iisdem chartis, in quibus composuimus, ediscere; quia ad paginæ loca & partes iam assueuit memoria, hinc scimus, quo in chartæ angulo aliquid scriptum sit, atque adeò sedem verbi cuiusque, quasi oculis tene-

enemus. Turbatio uero & con-
sio, si in alia charta scribas, & ex
lia discas: inter dicendum enim
triusque chartæ imago occur-
ens, distrahit & confundit ani-
um perorantis.

Quinto, Vtile est, ut si quidpiam
ifficilius addiscitur, illi loco ali-
uod signum uel notam aliquam
pponas, cuius admonitu citius oc-
urrat, & infigatur.

Sexto, Puto utilius esse, si non
umultuarie, sed declamando sta-
m, & cum gestu discat, eumque
ensum, quem iam infixit aliquo-
ies, secum reuoluat, tum demum
lterius perge.

Breuiter; Maxima fabricandæ
c seruandæ sibi Memoriæ ars est,
dies illam exercere, aut saltem
epissime: quia otiosa diu & sine
su hebescit, & infidelis effici-
ur.

ORATORIS EXTEMPORANEI

Seu

ARTIS ORATORIAE BREVIARI

PARS ALTERA.

Quæ circa Praxin in ſpecie occupatur potiſſimum.

BREVIARI

ARTIS ORATORIÆ PARS POSTERIOR.

De genere Demonſtratiuo & Deliberatiuo.

Acceſſus ad rem.



Ametſi generalia Oratoriæ facultatis præcepta pro omni Oratione componenda, abunde ſufficere poſſint: Vberioris tamen Doctrinæ & claritatis Cauſſa, ad particularia deſcendere volumus; & poſt

& post ostensos fontes, riuos etiam demonstrare: Vt si forte aliqui minus felici studio artem in genere scriptam non penetrauerint, saltim hinc laboris fructũ colligant; quod vtique gratum esse nemini non poterit, cum illud iam viuimus seculum, in quo cum Orationibus nihil non inchoatur, nihil non perficitur. Nam & nascentes nos Orationes excipiunt, & mortuos deducunt, & mensæ hospitia, fora, congressus ac singuli fere motus Orationibus personant: ut nostrum fere loqui, sit eloqui, atque adeo nullibi non sedem sibi Eloquentia cum libertate & theatrum elegisse hac ætate videatur.

Hæc autem instituti nostri ratio erit; *Præcepta* prius dicam, iuxta quæ Orationes, *Demonstratiui* ac *Deliberatiui generis* componi debeant. Deinde *Praxes* subiungam & præcipue in *genere Demonstratiuo*, quia genus hoc crebrius est; postremo supellectilem dabo ex *Sētentijs, Historijs & alijs eruditionibus*; quibus in eiusmodi Oratiunculis conficiendis maxime indigemus. Sed prius in cõmuni docebo, ex quibus præcipue locis Argumenta inuenienda *Instituti ratio.*

enda

enda sint pro utroque genere; & quibus modis Oratiunculæ facilè possint componi ac disponi.

CAPVT I.

Ex quibus locis præcipuè Argumenta inuenienda sint in vtroque genere.

QVAESTIO I.

Ex quibus locis præcipuè inueniantur in genere Demonstratiuo.

Demonstratiuũ genus, quid.

Genus Demonstratiuum, in quo *laudamus vel vituperamus. Laudamus bonum, vtile, iucundum: Vituperamus malum.* Porrò, laudare uel uituperare possumus, aut *personas aut res*; De utrisque aliquid distinctè.

Laudamus personas ab adiunctis personæ.

Personas laudaturus maximè argumenta sumes ex *Caussis*, *Effectis*, *Adiunctis*, *Comparatione*, *Similitudine*. Sunt uerò *Adiuncta personæ: Patria*, *Maiores*, *Parentes*, *Bona animi*, *Corporis*, *Fortunæ*. *In Patria* considerandum est, qualis sit, clarane & magnorum Heroum genitrix; an obscura, quam ferax,

quam

quam ſplendida, abundans, ubi & quomodo ſita. *In Maioribus* nobilitas & res præclarè geſtæ. Deinde in ipſo qui laudatur, natalis dies, & ſi quę laudabilia aut prodigioſa natiuitatem præceſſerunt. *In Pueritia*, Ingenium, indoles, docilitas, inſtitutio, procliuitas ad virtutes, ad alta, &c. *In Adoleſcentia* mores & ſtudium, ſeu virtutis & ſapientiæ ſeu vitij & ignauiæ, quomodo vitam egit, apud quos, ſub quibus Præceptoribus, cum quibus æqualibus, quibus artibus, & ſtudijs uacabat. *In Iuuentute*, genus uitæ, fortunæ bona, ut honores, dignitates, facta prę clare geſta, uirtutes. *In Senectute* conſilia, pietas, morbi, patientia, conſtantia in bene cœptis, &c.

Sed aduerte *in factis vel operibus laudandis vel vituperandis*, bene ponderandum eſſe, quale opus ſit, *honeſtumne an turpe, vtilene Religioni, Patriæ aut alteri, an vero nexium: Facilene an difficile, iucundum an moleſtum.*

Quid uerò ſit *honeſtum* eſſe, *vtile*, *iucundum*, infra dicam. In *Rebus* hoc uniuerſim ſpectetur, ut rei laudan- *Ref.*

laudandæ, vel vituperandæ partes diligentissimè inquirantur. Rursus examinentur *Genera, Species, Causæ, Effecta, Contraria, Adiuncta.* Porro *res Naturales*, item *artes, linguæ, virtutes, scientiæ*, laudari vel vituperari solent *ab honestate aut turpitudine*, *à Causa efficiente*, *à necessitate* aut contra *ab vtilitate* vel *à damnis*, *à facili vel difficili*, *à circumstantijs alijs*, &c.

Vrbes, Castella, Arces. *Sic Vrbes, Castella, Arces* commendantur *ab antiquitate*, *à conditoribus*, *à forma*, *à situ*, *partibus*, *ædificiorum structura*, *aeris clementia*, *fertilitate soli*, *abundantia rerum*, *à fluminibus quibus irrigantur*, *à Ciuium moribus*, *à Studijs, Operibus, à Politia, Senatu, rebus gestis.* Vituperantur *à contrarijs.*

Insulas, Regiones, &c. *Insulæ, Regiones*, loca alia laudantur *à situ, figura, amplitudine, antiquitate incolarum, à Regibus, Ducibus, à cultu Religionis, à fertilitate, fontibus, aquis, stagnis, vrbium frequentia & celebritate*, *ab institutis & legibus*, *à rebus gestis*, &c.

Arbores, Plantæ, Herbæ laudantur

r à nomine seu Notatione, à for- *Arbores.*
a, à loco subiecto, ab adiuncto tem- *Plantas.*
re, à virtute, ab Effectu. *Herbas.*

Flumina & Fontes ab ortu, seu *Flumina.*
scaturigine, ab amplitudine, colore, *Fontes.*
natura aquæ, à velocitate cursus, à
locis nobilioribus, per quæ fluunt, à pi-
scium generibus, copia, salubritate,
ab effectibus.

Montes laudantur *à situ, ab ijs, quæ* *Montes.*
in illis nascuntur, ut herbis, arboribus:
vel quæ effodiuntur, vt metallis, à fe-
ris, quæ in illis degunt, ab Arcibus, &
Turribus, quæ in ipsis sunt, *à fonti-*
bus inde scaturientibus, à rebus me-
morabilibus aut prodigiosis ibi factis.

QVÆST. II.

Ex quibus locis præcipuè Argu-
menta sumenda sunt in genere De-
liberatiuo.

Deliberatiuum genus est, in quo de *Delibera-*
rebus futuris, quæ in potestate no- *tiuum ge-*
stra sunt, quæque euenire possũt & *nus quid.*
non euenire, deliberamus. Nobile
& Ciuile genus dicendi *duabus par-*
tibus cõstat: Suasione & Dissuasione.
Suademus bonũ, dissuademus malũ.
Argumenta potissimum in hoc ge-

nere

faciunt, vocatur *Comma* seu *incisum*, si aliquem sensum, sed pendentem, vocatur *membrum*, seu *colon*, vulgò *duo puncta*: si perfectum, & integrum, *periodus* vocatur. *Comma* est pars sententiæ seu elocutionis ex duobus vel pluribus verbis constans, nihil adhuc perfecti & absoluti significans v. g. *Etsi vereor, Iudices*, *Duplex est comma*, aliud est *membri actualis pars*, aliud *pars membri potentialis*: notatur *comma* virgula per modum mediæ lunulæ inuersæ (,) vt quotidianus docet vsus. Longitudo eius propriè sumpti, ad septem Syllabas longas extenditur, aut ad breues quatuordecim, quia cum longa quæuis Syllaba duo faciat tempora, possunt pro vna longa breues duæ substitui: Sed in Syllabis numerandis terendum tempus non est aures enim tersæ & politæ de omni superfluo & defectu facilè ferunt iudicium: Et hac in re optimus magister est vsus.

Comma quid.

Quotuplex.

(*)

CA-

CAPVT IV.

DE MEMORIA.

MEmoria est facultas animę retinens ea & conseruans, quæ cognouimus & impressimus: pulchre à Cic. *Thesaurus & sinus animi dicitur* à Causino, *horreum mentis*; ab alijs *Aerarium ingenij, quia in illa, quæ volumus, deponimus*, vt *pro tempore recipiamus*. De hac multum loqui consilij mei non est, siquidem ea contenti esse debemus, quam à Deo accepimus; nec vllus sibi per præcepta, si caret, formabit. Solent tamen Rhetores multa suggerere auxilia; vt, quam natura nobis concessit Memoriam, excolamus, amplificemusque; Suadent omnes & docent, loca sibi quædam fingere atque imagines, siue nota ædificia, siue castella, siue alia spatia quæcunque concipere animo, atque in eorum partibus certas rei dicendæ partes collocare, vt sic vi- sa aut reuocata loci parte, statim occurrat pars rei, de qua dicendum est, & hanc illi *Memoriam localem*, siue *artificialem* appel-

Memoria.

Localis.

lant, eamque Rhetoricæ partem esse volunt: Vtatur hac ope qui volet; mihi præsentiora uidentur auxilia, quæ sequuntur.

Primo: Vt Orationem commendaturus memoriæ, post inuocatam Dei opem, semel totam prius legat, ut quasi confusam eius habeat notitiam; deinde per partes ediscat, nec facile saltet ab una parte nondum plenè possessa, in aliam. *Secundo*, Quia tempus matutinum longè commodius est ad ediscendum, quàm meridianum, & Vespertinum, ideo illud curæ sit: tamen per quam utile est pridie vesperi prius quam dormitum concedas, semel & iterum percurrere ea, quæ postridie sunt ediscenda.

Tertio, dicerem, ut curet intelligere, quia intellecta facilius hærent & fortius, sed Rhetori loquor, qui sine dubio nihil declamabit, quod non intelliget.

Quarto, proderit multum ex iisdem chartis, in quibus composuimus, ediscere; quia ad paginæ loca & partes iam assueuit memoria, hinc scimus, quo in chartæ angulo aliquid scriptum sit, atque adeò sedem verbi cuiusque, quasi oculis

tene-

enemus. Turbatio uero & confusio, si in alia charta scribas, & ex alia discas: inter dicendum enim utriusque chartæ imago occurrens, distrahit & confundit animum perorantis.

Quinto, Vtile est, ut si quidpiam difficilius addiscitur, illi loco aliquod signum uel notam aliquam apponas, cuius admonitu citius occurrat, & infigatur.

Sexto, Puto utilius esse, si non tumultuarie, sed declamando statim, & cum gestu discat, eumque sensum, quem iam infixit aliquoties, secum reuoluat, tum demum ulterius perge.

Breuiter; Maxima fabricandæ & seruandæ sibi Memoriæ ars est, in dies illam exercere, aut saltem sæpissime: quia otiosa diu & sine usu hebescit, & infidelis efficitur.

ORATORIS EXTEMPORANEI

Seu

ARTIS ORATORIAE BREVIARI PARS ALTERA.

Quæ circa Praxin in specie occupatur potissimum.

BREVIARI ARTIS ORATORIÆ PARS POSTERIOR.

De genere Demonstratiuo & Deliberatiuo.

Accessus ad rem.



Ametsi generalia Oratoriæ facultatis præcepta pro omni Oratione componenda, abunde sufficere possint: Vberioris tamen Doctrinæ & claritatis Caussa, ad particularia descendere volumus; & post

& post ostensos fontes, riuos etiam demonstrare: Vt si forte aliqui minus felici studio artem in genere scriptam non penetrauerint, saltim hinc laboris fructũ colligant; quod vtique gratum esse nemini non poterit, cum illud iam viuimus seculum, in quo cum Orationibus nihil non inchoatur, nihil non perficitur. Nam & nascentes nos Orationes excipiunt, & mortuos deducunt, & mensæ hospitia, fora, congressus ac singuli fere motus Orationibus personant: ut nostrum fere loqui, sit eloqui, atque adeo nullibi non sedem sibi Eloquentia cum libertate & theatrum elegisse hac ætate videatur.

Hæc autem instituti nostri ratio erit; *Pracepta* prius dicam, iuxta quæ Orationes, *Demonstratiui* ac *Deliberatiui generis* componi debeant. Deinde *Praxes* subiungam & præcipue in *genere Demonstratiuo*, quia genus hoc crebrius est; postremo supellectilem dabo ex *Sẽtentijs*, *Historijs*, & *alijs eruditionibus*; quibus in eiusmodi Oratiunculis conficiendis maxime indigemus. Sed prius in cõmuni docebo, ex quibus præcipue locis Argumenta inueni- *Instituti ratio.*

enda

enda ſint pro utroque genere; & quibus modis Oratiunculæ facilè poſſint componi ac diſponi.

CAPVT I.

EX quibus locis præcipuè Argumenta inuenienda ſint in vtroque genere.

QVAESTIO I.

Ex quibus locis præcipuè inueniantur in genere Demonſtratiuo.

Demonſtratiuũ genus, quid.

Genus Demonſtratiuum, in quo *laudamus vel vituperamus. Laudamus bonum, vtile, iucundum: Vituperamus malum.* Porrò, laudare uel uituperare poſſumus, aut *perſonas aut res*; De utriſque aliquid diſtinctè.

Laudamus perſonas ab adiunctis perſonæ.

Perſonas laudaturus maximè argumenta ſumes ex *Cauſſis*, *Effectis*, *Adiunctis*, *Comparatione*, *Similitudine*. Sunt uerò *Adiuncta perſonæ*: *Patria*, *Maiores*, *Parentes*, *Bona animi*, *Corporis*, *Fortunæ*. *In Patria* conſiderandum eſt, qualis ſit, clarane & magnorum Heroum genitrix; an obſcura, quàm ferax,

quam

quam splendida, abundans, ubi & quomodo sita. *In Maioribus* nobilitas & res præclarè gestæ. Deinde in ipso qui laudatur, natalis dies, & si quę laudabilia aut prodigiosa natiuitatem præcesserunt. *In Pueritia*, Ingenium, indoles, docilitas, institutio, procliuitas ad virtutes, ad alta, &c. *In Adolescentia* mores & studium, seu virtutis & sapientiæ seu vitij & ignauiæ, quomodo vitam egit, apud quos, sub quibus Præceptoribus, cum quibus æqualibus, quibus artibus, & studijs uacabat. *In Iuuentute*, genus uitæ, fortunæ bona, ut honores, dignitates, facta prę clare gesta, uirtutes. *In Senectute* consilia, pietas, morbi, patientia, constantia in bene cœptis, &c.

Sed aduerte *in factis vel operibus laudandis vel vituperandis*, bene ponderandum esse, quale opus sit, *honestumne an turpe, vtilene Religioni, Patriæ aut alteri, an vero nexium: Facilene an difficile, iucundum an molestum.*

Quid uerò sit *honestum* esse, *utile*, *iucundum*, infra dicam. In *Rebus* hoc uniuersim spectetur, ut rei laudan- *Ref.*

dens uerbum finiat, & sequens inchoet, exasperat enim Orationem v. g. *amplissima actio oritur*: maximè tamen hoc uitandum est in A & E. ut autem hoc fiat, natura *Vocalium* est cognoscenda: Ergo concursus A & E faciunt orationem hiulcam v. g. *ad ea arma accingimur*. A & I obtusam, ut, *diligentia inimicum vicit*; A & V insuauem, ut, *Sylua vritur*. E & A minus dissonant, ut, *tua voluntate ad bellum iui*: I & A suauius audiuntur ut, *prostrati ad pedes iacent*. O & A insuauia sunt, ut, *æquo animo tuli*. O & E mollius concurrunt, ut, *reprehensio exigua non nocet*; O & I absona sunt, ut, *sine modo iniuria*. V & A pulchrius sonant, ut, *vrbs adscensu ardua*. *Tertio*, *Vocalium* breuium, & tenuium uitanda est multitudo, ut, *speciei*, *progeniei*. Sed in his nec negligentes nec diligentes nimium esse oportet, alias singulorum uerborum singulas Syllabas anxiè inspicere, quæ tandem Oratori libero & quam intolerabilis esset seruitus!

Quod *consonantes* concernit, bene

ne monet Rhetor, asperũ esse concursum, si S præcedens uerbum finiat & X sequens incipiat; ut *Exercitus Xerxis*: Item si S incipiat, & S finiat, aut si X finiat & incipiat; ut *Ars studiorum, Rex Xerxes*. II. erit ornatus in coniunctione uerborũ, si monosyllaba multa non ponantur simul. III. Si nomina aut uerba breuia multa non continentur, sic enim compositio fit minuta & cõcisa. IV. Si nec longa uerba multa in unum conglobentur, adferunt enim tarditatem, plura lege apud *Soaret*. lib. 3 Cap. 33.

Venustam etiam facit Orationẽ, quando uoces certæ, uel antepo-nuntur uel postponuntur, quod in Oratorib. passim obseruare potes.

Quomodo ornatus sit in numero Oratorio spectandus.

Numerus Oratorius est quædam mensura & uocum coordinatio; ut hæ longis breuibusque Syllabis constent; quæ uoces uel partem sensus faciunt, uel aliquem sensum, sed pendentem, uel perfectum, & integrum. Si uoces aliquæ partem sensus faci- *In numero Oratorio.*

faciunt, vocatur *Comma* seu *incisum*, si aliquem sensum, sed pendentem, vocatur *membrum*, seu *colon*, vulgò *duo puncta*: si perfectum, & integrum, *periodus* vocatur. *Comma* est pars sententiæ seu elocutionis ex duobus vel pluribus verbis constans, nihil adhuc perfecti & absoluti significans v. g. *Etsi vereor, Iudices*, *Duplex est comma*, aliud est *membri actualis pars*, aliud *pars membri potentialis*: notatur *comma* virgula per modum mediæ lunulæ inuersæ (,) vt quotidianus docet vsus. Longitudo eius propriè sumpti, ad septem Syllabas longas extenditur, aut ad breues quatuordecim, quia cum longa quæuis Syllaba duo faciat tempora, possunt pro vna longa breues duæ substitui: Sed in Syllabis numerandis terendum tempus non est aures enim tersæ & politæ de omni superfluo & defectu facilè ferunt iudicium: Et hac in re optimus magister est vsus.

Comma quid.

Quotuplex.

(*)

CA-

CAPVT IV.

DE MEMORIA.

MEmoria eſt facultas animę retinens ea & conſeruans, quæ cognouimus & impreſſimus: pulchre à Cic. *Theſaurus & ſinus animi dicitur*: à Cauſino, *horreum mentis*; ab alijs *Aerarium ingenij, quia in illa, quæ volumus, deponimus*, vt *pro tempore recipiamus*. De hac multum loqui conſilij mei non eſt, ſiquidem ea contenti eſſe debemus, quam à Deo accepimus; nec vllus ſibi per præcepta, ſi caret, formabit. Solent tamen Rhetores multa ſuggerere auxilia; vt, quam natura nobis conceſſit Memoriam, excolamus, amplificemusque; Suadent omnes & docent, loca ſibi quædam fingere atque imagines, ſiue nota ædificia, ſiue caſtella, ſiue alia ſpatia quæcunque concipere animo, atque in eorum partibus certas rei dicendæ partes collocare, vt ſic viſa aut reuocata loci parte, ſtatim occurrat pars rei, de qua dicendum eſt, & hanc illi *Memoriam localem*, ſiue *artificialem* appel-

Memoria.

Localis.

lant, eamque Rhetoricæ partem esse volunt: Vtatur hac ope qui volet; mihi præsentiora uidentur auxilia, quæ sequuntur.

Primo: Vt Orationem commendaturus memoriæ, post inuocatam Dei opem, semel totam prius legat, ut quasi confusam eius habeat notitiam; deinde per partes ediscat, nec facile saltet ab una parte nondum plenè possessa, in aliam. *Secundo*, Quia tempus matutinum longè commodius est ad ediscendum, quàm meridianum, & Vespertinum, ideo illud curæ sit: tamen per quam utile est pridie vesperi prius quam dormitum concedas, semel & iterum percurrere ea, quæ postridie sunt ediscenda.

Tertio, dicerem, ut curet intelligere, quia intellecta facilius hęrent & fortius, sed Rhetori loquor, qui sine dubio nihil declamabit, quod non intelliget.

Quarto, proderit multum ex iisdem chartis, in quibus composuimus, ediscere; quia ad paginæ loca & partes iam assueuit memoria, hinc scimus, quo in chartæ angulo aliquid scriptum sit, atque adeò sedem verbi cuiusque, quasi oculis tene-

tenemus. Turbatio uero & confusio, si in alia charta scribas, & ex alia discas: inter dicendum enim utriusque chartæ imago occurrens, distrahit & confundit animum perorantis.

Quinto, Vtile est, ut si quidpiam difficilius addiscitur, illi loco aliquod signum uel notam aliquam apponas, cuius admonitu citius occurrat, & infigatur.

Sexto, Puto utilius esse, si non tumultuarie, sed declamando statim, & cum gestu discat, eumque sensum, quem iam infixit aliquoties, secum reuoluat, tum demum ulterius perge.

Breuiter; Maxima fabricandæ & seruandæ sibi Memoriæ ars est, in dies illam exercere, aut saltem sæpissime: quia otiosa diu & sine usu hebescit, & infidelis efficitur.

ORATORIS EXTEMPORANEI

Seu

ARTIS ORATORIAE BREVIARI

PARS ALTERA.

Quæ circa Praxin in specie occupatur potissimum.

BREVIARI

ARTIS ORATORIÆ PARS POSTERIOR.

De genere Demonstratiuo & Deliberatiuo.

Accessus ad rem.



TAmetsi generalia Oratoriæ facultatis præcepta pro omni Oratione componenda, abunde sufficere possint: Vberioris tamen Doctrinæ & claritatis Caussa, ad particularia descendere volumus; & post

& post ostensos fontes, riuos etiam demonstrare: Vt si forte aliqui minus felici studio artem in genere scriptam non penetrauerint, saltim hinc laboris fructũ colligant; quod vtique gratum esse nemini non poterit, cum illud iam viuimus seculum, in quo cum Orationibus nihil non inchoatur, nihil non perficitur. Nam & nascentes nos Orationes excipiunt, & mortuos deducunt, & mensæ hospitia, fora, congressus ac singuli fere motus Orationibus personant: ut nostrum fere loqui, sit eloqui, atque adeo nullibi non sedem sibi Eloquentia cum libertate & theatrum elegisse hac ætate videatur.

Hæc autem instituti nostri ratio erit; *Præcepta* prius dicam, iuxta quæ Orationes, *Demonstratiui* ac *Deliberatiui generis* componi debeant. Deinde *Praxes* subiungam & præcipue in *genere Demonstratiuo*, quia genus hoc crebrius est; postremo supellectilem dabo ex *Sētentijs*, *Historijs*, & *alijs eruditionibus*, quibus in eiusmodi Oratiunculis conficiendis maxime indigemus. Sed prius in cõmuni docebo, ex quibus præcipue locis Argumenta inuenienda *Instituti ratio.*

enda

enda sint pro utroque genere; & quibus modis Oratiunculæ facilè possint componi ac disponi.

CAPVT I.

EX quibus locis præcipuè Argumenta inuenienda sint in vtroque genere.

QVAESTIO I.

Ex quibus locis præcipuè inueniantur in genere Demonstratiuo.

Demonstratiuũ genus, quid.

Genus Demonstratiuum, in quo *laudamus vel vituperamus*. *Laudamus bonum, vtile, iucundum*: *Vituperamus malum*. Porrò, laudare uel uituperare possumus, aut *personas aut res*; De utrisque aliquid distinctè.

Laudamus personas ab adiunctis personæ.

Personas laudaturus maximè argumenta sumes ex *Caussis*, *Effectis*, *Adiunctis*, *Comparatione*; *Similitudine*. Sunt uerò *Adiuncta personæ*: *Patria*, *Maiores*, *Parentes*, *Bona animi*, *Corporis*, *Fortunæ*. *In Patria* considerandum est, qualis sit, clarane & magnorum Heroum genitrix; an obscura, quam ferax,

quam

quam splendida, abundans, ubi & quomodo sita. *In Maioribus* nobilitas & res præclarè gestæ. Deinde in ipso qui laudatur, natalis dies, & si quę laudabilia aut prodigiosa natiuitatem præcesserunt. *In Pueritia*, Ingenium, indoles, docilitas, institutio, procliuitas ad virtutes, ad alta, &c. *In Adolescentia* mores & studium, seu virtutis & sapientiæ seu vitij & ignauiæ, quomodo vitam egit, apud quos, sub quibus Præceptoribus, cum quibus æqualibus, quibus artibus, & studijs uacabat. *In Iuuentute*, genus uitæ, fortunæ bona, ut honores, dignitates, facta pręclare gesta, uirtutes. *In Senectute* consilia, pietas, morbi, patientia, constantia in bene cœptis, &c.

Sed aduerte *in factis vel operibus laudandis vel vituperandis*, bene ponderandum esse, quale opus sit, *honestumne an turpe, vtilene Religioni, Patriæ aut alteri, an vero nexium: Facilene an difficile, iucundum an molestum.*

Quid uerò sit *honestum* esse, *utile, iucundum*, infra dicam. In *Rebus* hoc uniuersim spectetur, ut rei laudan- *Ref.*

laudan-

laudandæ, vel vituperandæ partes diligentissimè inquirantur. Rursus examinentur *Genera, Species, Causæ, Effecta, Contraria, Adiuncta.* Porro *res Naturales*, item *artes, linguæ, virtutes, scientiæ*, laudari vel vituperari solent *ab honestate aut turpitudine, à Causa efficiente, à necessitate* aut contra *ab vtilitate* vel *à damnis, à facili vel difficili, à circumstantiis aliis*, &c.

Vrbes, Castella, Arces. *Sic Vrbes, Castella, Arces* commendantur *ab antiquitate, à conditoribus, à forma, à situ, partibus, ædificiorum structura, aeris clementia, fertilitate soli, abundantia rerum, à fluminibus quibus irrigantur, à Ciuium moribus, à Studiis, Operibus, à Politia, Senatu, rebus gestis.* Vituperantur *à contrariis.*

Insulas, Regiones, &c. *Insulæ, Regiones*, loca alia laudantur *à situ, figura, amplitudine, antiquitate incolarum, à Regibus, Ducibus, à cultu Religionis, à fertilitate, fontibus, aquis, stagnis, vrbium frequentia & celebritate, ab institutis & legibus, à rebus gestis*, &c.

Arbores, Plantæ, Herbæ laudantur

tur *à nomine seu Notatione, à forma, à loco subiecto, ab adiuncto tempore, à virtute, ab Effectu.* *Arbores. Plantas. Herbas.*

Flumina & Fontes ab ortu, seu scaturigine, ab amplitudine, colore, natura aquæ, à velocitate cursus, à locis nobilioribus, per quæ fluunt, à piscium generibus, copia, salubritate, ab effectibus. *Flumina. Fontes.*

Montes laudantur *à situ, ab ijs, quæ in illis nascuntur, ut herbis, arboribus: vel quæ effodiuntur, vt metallis, à feris, quæ in illis degunt, ab Arcibus, & Turribus,* quæ in ipsis sunt, *à fontibus inde scaturientibus, à rebus memorabilibus aut prodigiosis ibi factis.* *Montes.*

QVAEST. II.

Ex quibus locis præcipuè Argumenta sumenda sunt in genere Deliberatiuo.

Deliberatiuum genus est, in quo de rebus futuris, quæ in potestate nostra sunt, quæque euenire possũt & non euenire, deliberamus. Nobile & Ciuile genus dicendi *duabus partibus cõstat: Suasione & Dissuasione. Suademus bonũ, dissuademus malũ.* Argumenta potissimum in hoc ge- *Deliberatiuum genus quid.*

nere

nere quęrenda sunt in *Caussis*, *Effectis*, *Consequentibus*, *Contrarys*, *Adiunctis*, *Comparatione*. Seu, ut clarius loquar, capita uniuersalia pro

Suademus. Argumentis *in Deliberatiuo genere* ad suadendum sunt hæc:

A necessario, ab honesto, ab vtili, à iucundo, à glorioso, à iusto, à possibili, à facili.

Dissuademus. Ad dissuadendum vero hæc:

A non necessario, à turpi, ab inutili, ab iniucundo, à periculoso, ab impossibili, à difficili, à probroso, à molesto & damnoso.

Honestũ. Porro *Honestum* illud dicitur, quod à Deo ac Religione vera commendatur, quod rectę rationi, quod sanis legibus, quod sapiétum dictis ac monitis consonat. E contra uero

Inhonestum. *Inhonestum seu turpe*, quod Deus, quod pietas reprobat, quod sanæ rationi repugnat, quod sanis legibus; quod sapientum dictis ac

Vtile. monitis non congruit. *Vtile* illud dicitur, quod bona animi uel corporis uel fortunæ aut acquirit, aut

Inutile. auget, aut conseruat. *Inutile*, quod

Iucundũ. ad nihil horum conducit. *Iucundum* est, quod animum uoluptate

Iniucundum. perfundit; *Iniucundum*, quod nihil

Necessar. uoluptatis habet. *Necessarium* illud

dici-

dicitur, sine quo uel salus uel libertas uel Religio uel aliquid aliud esse non potest, vel quod necesse est ut fiat, alias multum nocetur. *Possibile* est, quod habet Causas, à quibus fieri potest. *Facile*, quod sine labore magno; *Difficile*, cura & pretio. *Possibile.* *Facile.* *Difficile.*

Probrosum, ex quo infamia sequitur. *Molestum*, quod aufert voluptatem sensuum uel animi, quod tædium uel fastidium generat. *Probrosum.* *Molestũ.*

Aduerte uerò diligenter, Oratori considerãdum esse *in Suasione vel Dissuasione*, quinam & quales Auditores sint: Nam si Generosi & Nobiles, tunc maximè argumenta sumenda erunt *ab honesto*: Si uero plebeij animi & mechanici, maximè *ab utili*: *utili* enim hoc genus hominum maximè trahitur.

CAPVT II.

De Dispositione Orationum generis Demonstratiui, & Deliberatiui.

PRæterea, quæ supra de *Dispositione* diximus, nihil speciale

hic

hic occurrit; de *genere Demonstratiuo* hoc solum addendum est, quod cum sit perpetua *Narratio cum Amplificatione*, laudando aliquem solemus incipere *à patria*, deinde laudare *à Maioribus*, *à Parentibus*, *Consanguineis*: *& Familia* vtriusque lineæ, postea *Natiuitatem* describimus, tum *Pueritiam*, *Adolescentiam*, *Iuuentutem*, *Virilem ætatem*, *Senectutem*, denique *mortem*, atque ita quem ordinem vita habuit, eundem oratione sequimur. Aliquando verò accipimus vnam tantum, vel aliquot virtutes laudandi tota oratione tractandas; atque ad eam vel ad eas alia honestè gesta deducimus, quæ possimus, prætereundo *Patriæ* laudes, *Generis & Familiæ* &c. Sed *Decem modos disponendi vel conficiendi Oratiunculas à Neotericis collectos proponere lubet*, in quibus si sedulus te exercere volueris, facile in Oratorem etiam extemporaneum euadere poteris.

Decem Modi disponendi.

Modus Primus est.

Cum voles *Gratulari*, *Salutare*, *Valedicere*, *Propinare* & alia eiusmodi

modi prestare, *Primo* rationem seu Causam inuenias, propter quam id facere velis: *Deinde* Rationem cum propositione *in Syllogismum* dispone, faciendo *Maiorem*, *Minorem*, *Conclusionem*, vt supra diximus, & facillimè parraueris Orationem.

EXEMPLVM.

Velles v.g. Amico gratulari *Natalitia festa*, quereres ergo prius *Rationem*, propter quam facere velles, & occurret hæc: *quia Amor impellit*: Ex hac igitur *ratione & propositione* conficeres hunc *Syllogismum*: E.C. *Amor vrget Amicum, vt Amico debeat gratulari: Sed ego habeo tui Amorem*. Ergo &c. Oratoriè hoc sic facile efferres.

Gratulatoria.

ELABORATIO.

Maior. Habet suas faces, habet stimulos fœcundus votorum AMOR & eo perurit, eo lacessit vsque Amici pectus, donec in Amici præsentia totum in vota, totũ in desideria exundet. *Minor.* Quid vero pectus meum, nonne Amoris in Te singularis palatiũ, quem humanitate hactenus non vulgari & fauore ornauisse parum fuit;

fuit, etiam plurimis, & maximis beneficiis nutriuisti, fouisti. Certè ursit, & iussit ille in amicissimum conspectum Tuum prodire, & hoc tuæ beneuolentiæ Domicilium, siquidem in repagulis non potest, in uerbis aperire commendauit. Obsecundo, aperio, & cum has Natales Christi Ferias tibi euenisse felices gratulor, cum à Deo rerum, & fortunæ Arbitro omnia fausta apprecatus, annos etiam meos in felicis vitæ tuæ prorogationem depono. Dixi.

Conclusio.

RESPONSORIA.

Qui vellet gratulanti respondere; hunc *Syllogismum* instituerет. v. g. *Gratulatio Amici gratissima est, Tu Amicus gratularis, Ergo:* Oratorie sic tranabis:

ELABORATIO.

Responsoria Maior. Nullius quidem uota & salutis apprecatio grata esse non potest, ab amico tamen quæ venit pectore, solet esse semper gratissima. *Ratio Maioris.* Vt enim pretiosis nobilius pretium adijcimus, quando aurum adijcimus:

mus: Ita quæ amore condiuntur, si bona sunt, fiunt optima. Iam vero à Te quid non amore plenum prodire potuit, qui totus amor es, & amoris mei singulare Eloquium. Aperuisti hodie pectoris dulce Sacrarium, & me nouo fauoris radio rursus perfusum beauisti: Fecisti quod prior facere debui, & in amicitiæ certamine me longè superior triumphare potes: Quid ad gratissimas amoris tui voces addijciam? quia maiora non possum, paria repono, viue & vale semper felix, semper meus, & quem tempus inter nos inchoauit amorem, æternitas consignet. *Minor.* *Conclusio.*

Aduerte hic: *Primo*, quod si fusius loqui voles, propositionibus suis, hoc est, *Maiori* & *Minori* &c. plures *rationes*, *confirmationes*, *exornationes* subiunge. *Nota.*

Aduerte *Secundo*, Quod ij, qui eruditiores videri uolunt, communiter *rationes Maioris* aut *Minoris* per *Sententias & aliorum dicteria* efferunt. Quanto autem cultiores erunt *rationes*, tanto etiam ipsa Oratio plus habebit gratiæ.

Aduerte *Tertio*, Communiter in offi-

officiosis Oratiunculis loco *Conclusionis* ipsam adfectus testificationē poni, seruientem ei rei, quam assumpsisti, vt si gratularis, gratulationem, si salutas, salutationem ponis in *Conclusione*.

Secundus Modus.

Quando immutantur partes *Syllogismi*, & *primo loco particularis propositio* ponitur, seu quod idem est, *Minor: Deinde vniuersalis propositio*, seu *Maior:* vel ante vel post *Conclusionem*, ita tamen, vt si *Conclusio* ante *Maiorem* posita fuerit, rursus repetatur alijs Verbis in fine.

EXEMPLVM.

Si velles v.g. capitaneum primo ingredientem Capitaneatum nomine aliorum excipere, hanc pro fundamento simplicem *rationem* acciperes: *Lætamur, quod saluus ingrediaris, quia hoc assequimur, quod optamus. Syllogismum* formares sic:

Qui assequitur, quod optauit, iure lætatur;

Sed nos, cum incolumen Te accipimus, assequimur, quod optauimus: Ergo. Oratoriè sic:

ELA-

ELABORATIO.

Oculos nostros hodie primum auspicatus ingrederis, sed in animis omnium, & votis pridem habitas. N.N. Idem ipse Deus, qui Te feliciter Capitaneum nostrum denũciauit, desiderijs nostris impressit, ut de Te unicè solliciti, hoc in votorum summa portaremus, Te incolumem accipere: Sępe lentum accusauimus Solem, quod eum moraretur diem, quo magis apprecationibus hominum & plausu, quam curru hanc Vrbem & sedem inuectus, nominis tui magnitudine exornare inciperes; quam ut à Maioribus liberalissimè deriuare possis; in hoc tamen maximus es, quod mensuram magnitudinis tuæ totus in te habeas, & fortunam quãtumcunque animo & meritis excesseris. Ecce verò desideria hodie felix coronat euentus, quando Te Saluum nobis, quando faustum explicat. Et quis votis suis subscripsisse Numen non triumphet? quis uoluntati diuturnæ? quis sollicitis animorum curis satisfactum esse non vehementer gaudeat? Gaudemus cer-

Salutatoria Minor.

Maior.

H

certè, triumphamus, & quem ho-
Conclu- die ingredientem saluum, felicem
sio. salutamus eundem progredientem diu faustum, diu incolumem vt amare & venerari eueniat, solliciti unanimes Cœlum imploramus.

Tertius Modus.

3. Quando *Conclusionem primo loco* ponis, & ei *Maiorem*, & *Minorem* *subnectis* eo ordine, quo melius videbitur. *Denique* repetis *Conclusionem* & facis testificationem adfectus, conuenientem rei assumptæ.

PRO EXEMPLO.

Lectori beneuolo elegantissimam Oratiunculam præbeo, qua quondam *Cancellarius Regni Poloniæ* Georg. Ossolinsky alicui me præsente salutabatur; pro cuius fundamento hæc simplex *ratio* fuit: *Salutamus Te, quia magnus Hospes es, & ad nostram tenuem Salutationem audiendam Te demittis*: *Syllogismus* talis est:

Salutato- *Lætitiæ & amoris opus est, quan-*
riæ. *do magni Viri se demittunt ad tenues:*

Tu

Tu magnus ad audiendam tenui. tatem nostram Te demutis: Ergo. Oratoriè sic:

ELABORATIO.

Erubescere debet coram Te, Eloquentia nostra, Princeps Illustrissime, & pudore quam verbis ornatior Te hospitem orbis judicio magnum venerari: felicitatem nostram Tua humanitate metimur, quod magnis assuetas aures ad nostram dicendi infantiam inclinas: Et explicatam Principibus præsentiam nostrorum intra oculorum compendia contrahis. *Conclusio.*

Vt natura in magnis miranda sit, in parvis semper amabilior est; ita magni Principes, quando Majestatem in angustias colligitur, fortè magnitudinem stringitis, sed amorem amplificatis; fit molis iactura, sed pretium crescit æstimationis. *Major.*

Angustū pridem nominis tui splēdori *Polonæ Cœlum* fuit. Mundus aperire debuit, vt illustraretur: Imò ipse Mundi oculus *Roma* ad Polonæ indolis radios conniuere, & cui omnem propè admirationem Heroum frequentia sustulit, *Minor.*

cum Te vidit & loquentem audiuit, etiam admirari. Quod *Ferdinandus Imperator*, & in eo Orbis Christianus de Te ferret iudicium, satis aperuit, cum Virtutes tuas Ducis titulo æstimauit. Quo in Amore collocaret *Patria*, luculenter annulo publicæ fidei, quam tradidit, testatum fecit; Quo loco Rex *Vlatislaus* poneret, quando toties nomen & personam in Te suam transfudit, ad terrarum regna & Duces circumferendam; eccui tandem obscurum reliquit? Quid mirum igitur, si cum humili Salutis apprecatione ad Maiestatem Principis audacter vicini, à tui nominis radijs tenebras etiam nostras illustratum iri nequaquam dubitamus.

Conclusio repetita.

4. *Quartus Modus.*

Quando facto *Syllogismo* omittis *Maiorem*, & incipis à *Maioris Ratione*: eamque si placuerit exornas uel confirmas *Deinde minorem* ponis, cum suis itidem, si placuerit, *rationibus & exornationibus*: Tandem *Conclusionem*: Vel si placebit, pone primo *Rationē Maioris*, deinde subijce

iice ſtatim *Concluſionem:* Tandem pone *Minorem*, & rurſus in fine repete *Concluſionem*.



EXEMPLVM.

Si uelles v. g. Suadere, non eſſe flendum ob Iuuenis obitum, hanc *rationem* inuenires; *quia maturus Cœlo propter virtutes mortuus eſt*: *Syllogiſmum* hunc faceres:

Qui maturus Cœlo, licet iuuenis, moritur, flendus non eſt; Sed hic, etc. Ergo; &c. *Ratio Maioris* eſt, *quia Cœlum non à diebus ætatis, ſed à moribus annos computat.* Oratoriè ſic.

ELABORATIO.

Si more noſtro Cœlum, uitæ dies in Annos computare arbitramur, uehemētiſſimè nos ipſi fallimus & Cęli ingenium ignorare uidemur. A moribus ætatem æſtimat, & de immatura adoleſcentia maturos virtutū fructus frequentiſſimè decerpit. Hęc miſerorum mortalium cęcitas eſt, ſua non noſſe gaudia, & in lætitia ſæpiſſime mœrorem, in mœrore lætitiam comminiſci. Ecce in mortali uita currimus omnes per plana & aſpera, trudimur per *Suaſoria.* *Ratio maioris.* *Exornatio.*

ſumma per ima, mera fortunæ & tempeſtatum ludibria ſine pace, ſine ſolatio, ſemper miſeri, ſemper indigi; donec manumiſſo ſemel quod gerimus corpore, quaſi procellarum ſolenni theatro, innocenti vita & morte immortalitatis metam attingimus. Cur igitur vbi pleroſque feliciter attigiſſe, intelligimus, temere in lacrymas ſoluimur? Cur locum qui maturæ virtuti debetur inuidemus? Nautam certè ſuperata hyeme, in portum feliciter euaſiſſe nemo niſi hoſtis fleuerit: & militem potitum victoria, quis niſi inimicus doleat. Doleat tuum occaſum,

Concluſio. N. N. qui Virtutis tuæ & felicitatis conſcius non eſt: qui mecum ſanioris conſilij rationes inire, voluerit, gratulationes parabit & panegyres. Cecidiſti in primo ætatis flore, ſed bonus Sal-

Minor. uatori Tuo odor; Ad vrbis & parentum ſpem adhuc immaturus, ſed iam maturus Cœlo: Annis non attigiſti Senectutem; attigiſti virtute, & quo cum mora temporis vix peruenire ſolent alij, eo celeri innocentiæ curſu feſtinus perueniſti; quid multis?

tis? Parentem DEO, vitam æternitate, immortalitate mortem, mundum Cœlo permutasti. Hoc morum de Te innocens suauitas: hoc facilis animi in honesti studium propensio, hoc in Cœlum & Parentes pietas, hoc in socios & pares amor suadent existimare. Et vt vitæ inter nos ad probitatis regulam transactæ mentionem non injiciam, cuius cum socij fuimus, testes semper erimus; Qua mentis magnitudine morbum ingressus fueris, quis enarrando satis explicabit? Ostendisti in iuuenili pectore virilem habitare animum, quando grassantes per membra cruciatus, & anteambulones mortis dolores inuicta fortitudine sustinuisti: Atque in maximo febrium æstu, non nisi in CHRISTI Saluatoris nomine solatium posuisti. Verè Christianus Athleta, qui & agere honesta didicit, & fortia pati ignorauit; qui defixis continuo in Fixum cruci oculis cordis tanquam in patientiæ Magistrum cedro dignas, & auro voces emittebat: En, in-

quit, Christe Esu, à tuo pendeo nutu, si mori iubes, lubentissimè morior; si uiuere placet, tibi uiuere nō renuo. Cæterum in omnibus sanctissimæ uoluntati tuæ subscribo, & me ex assè dedico. Sic Herois ille uixit uitam. Sic Heros mortuus est, & iuuenem adhuc occubuisse lacrumabimur. Absint à uultu, absint Neniæ tristes & querimoniæ, Iuuenis uixit filius, uir mortuus est; matura uirtus excedere terris debet: Depositū tibi Natura & Deus credidit: quod suum est, repetiit uterque: E tuis brachiis in beatitudinis sinum migrauit, an meliorem Pater filio óptaueris locum. Nos uerò Adolescentes, quando ultimum N. N. parentamus obsequium, cum IESV uiuere discamus, ut cum IESV moriamur.

Conclusio repetita.

Quintus Modus.

Cum partes *Syllogismi* imminuo, & ex ratione inuenta *duas* tantùm *propositiones* conficio, quarū *prima* sit inferē s *alteram*, & *vna* uocatur *Antecedens*, altera *Consequens*. Vocatur hic modus disponendi uulgò *Enthymema*: Fit uerò dupliciter;

Pri-

Primo, cum *vna propositio*, undè ponitur.& *altera* ei *per modum rationis* subijcitur, exornaturque & confirmatur prolixius. *Secundo*, Quando & *Antecedens* & *Consequens* suis *rationibus* pluribus vel paucioribus roboratur, prout res videbitur exigere.

EXEMPLVM.

Vide supra Parte prima Cap.II. Quæst.3.Modo Sexto, pag.84.

Sextus Modus.

6. Quando *prius* præmittitur per *discursum aliquem generalem Expositio* seu *Explicatio rei illius*, de qua dicturi sumus: *Deinde* verò res ipsa subnectitur, siue illa *gratulatio* fuerit siue *salutatio*, siue quid aliud. Modus est & facilis & frequens, & cultus, pro ijs maximè, qui eruditionis famam volunt promereri. Constat his partibus: *Primo* ponitur *Propositio* siue sermo explicans rem, de qua dicturus sum. *Secundo* ponitur *Ratio* una uel plures. *Tertio Confirmatio* seu *Exornatio*, quæ communi-

muniter accipitur ab *Exemplis*, *Sententijs*, *Symbolis*, *Similitudine &c.* *Quarto* ponitur *Conclusio*, seu illa ipsa res tua, quam voles dicere.

EXEMPLVM.

Si quispiam v. g. vellet conjugium Sponso gratulari: Orationem posset optimè hoc modo construere *Primo*, Assumere hanc *propositionem Felix est & eximium, inuenire sibi fidelem amicum*; *Secundo*, *Daret Rationem*; *quia cum eo potest prospera & adversa omnia communicare*. *Tertio*, Confirmaret *hoc ex dictis Sapientum*; *quia Amicus dimidium animæ est, & sine eo omnia etiam dulcia amarescunt*. *Quarto Gratulatio*: quod Sponsus fidelem hactenus amicum diu quæsitum tandem inuenerit, & vt in hac interna amicitia felices viuant, optabis. Oratoriè sic:

Gratulatoria Cōfugij.

ELABORATIO.

Propositio. *Thesaurum inuenit, qui amicum inuenit, & votorum suorum* *cul-*

culmen videtur attigisse. Enimuero si visceratio *Lupi & Leonis* vita est, quæ sola est, vt *Romanus rectè Sapiens existimat*; annon supremæ felicitatis tessera erit, eum sibi adsciuisse, in cujus sinum arcanas pectoris cogitationes confidentius possit effundere? cum quo uel ut tecum loqui, cuius Spiritu viuere, in cuius animo securus habitare, suauiter quiescere assiduus lætari liceat. Certè non desipuit ille, & à ueritate laurum promeruit, qui *Amicum partem animæ suæ alteram aut dimidium sui nuncupauit*: perinde enim quasi non integer homo, qui sine amico est, & duntaxat in vita moratur, non viuit magna sui parte versatile cadauer & verè habe fortunas omnes cum *Crœso*; numera candidos cum *Polycrate felici* dies; fluant ultro dormienti in gremium uictoriæ cum *Timotheo*, fiat aurum quicquid retigeris, cum *Myda*; fiat rosa, quidquid calcaueris, cum *Perseo*; nisi amicum tamen habeas, quo cum adfectus & animum commisceas, inter fortunas & solatia *Tantalum te & Irum* inuenies. In comitijs sapientum definita veritas est & ex-

Ratio.

Exornatio.

perientię calculis probata perseuerat, *Nullius boni sine socio iucundam possessionem esse, & absque amico etiam dulcia amarescere.* Hunc igitur amicum diu quæsitum tandem te N. N. inuenisse, & vaga hactenus desideria in domo N. N. constitisse gratulamur, & applaudimus in hodiernis mutui amoris ferijs: Atque ut hæc animorum & cordium coniunctio, quam bene precantibus superis æternam esse iussistis: Ecclesiæ, Patriæ, Familijs utrinque nobilissimis ornamento sit & gloriæ, multis vocibus, sed uno corde apprecamur: Facit spem nō exiguam similis splendor utriusque Domus, & stirpium clarissimarū æqualitas; quę cū concordię mater sit & amicitiæ parens, quidni hoc liberum, quod vestris cordibus injecistis vinculum plus quam *Gordio Nodo* cōfirmabit: Vocabunt uos in amplexum Majores uestri, qui cum rectè gestis & nomine famam impleuerunt, non difficulter cuiuis allucere poterūt & facem pręferre. Sed eximię imprimis virtutes, quę in vultu utriusq; uestrū uelut in solenni animorum theatro se latè explicāt illa, inquam humanitas, ille pudor,

Gratulatio.

illa

illa comitas, illa modestia, illæ ceteræ mentium generosarum dotes ac pedissequæ, annon æternas mutui amoris nutrices se fore pollicentur. *Mollibus est verbis*, inquit Poeta, *dulcis alendus amor*; Ego satius dixerim perennem Amoris ignem ibi construi & foueri, ubi honesti fomitem suppofueris.

Hic modus disponendi Orationem adhuc gratior est, si *discursum generalem* incipias *ab inopinato* seu ab aliquo adfectu & figura viuaciore, maximè in materia pathetica. Tunc enim & arriguntur animi auditorum & statim initio capiûtur.

EXEMPLUM.

Si velles dolere supra mortem Adolescentis, posses discursum communem *de imbecillitate vitæ humanæ sic affectuose exordiri.*

ELABORATIO.

Adhuc ne spes nostras in secula explicabimus? & cùm unius puncti possessores esse nō liceat longas æternitatis ambages, in hac morientium Republica somniabimus? O ploran- *Oratiuncula supra mortem Adolescentis.*

ploranda mortalitatis felicitas! uix è portu plerisque in altum soluere contingit, & insperatis acti tempestatibus nunquam reparabile uitæ naufragium facimus, uix in Adolescente ætatis Vere, Autumnum promittimus & contra Naturæ ordinem crudelissimam hyemem experimur Nimirum inter mortales nihil non mortale est, & anni etiam teneriores diem cum morte patiuntur. Clarum heu nimis clarum ante oculos nostros decumbis S. eculum N.N.& de silenti tumba nimis ad mœrorem publicum vocabis, humanę imbecillitatis exemplar peroras. Certe si viridem ætatis tuæ statum ad picimus; floruisti Iuuenis! Si tui Spem de Te conceptam conside-ramus; floruisti! Si omnium expectationem de tua Iuuentute reuocamus; floruisti; Si erectam tui ipsius ad omne honestum indolem memoramus; floruisti Parēti Spes & Corona Scholæ decus & gloria, studiosæ Iuuentuti sidus & exemplar Et quem illimis morum candor, simplex animi tralucentis suauitas, innocentiæ & Religionis, pietatis & studii imago nō recrea-

bat

bat aſpicientem ? At ecce tecum ceciderunt omnia ac præterquam tuî deſiderium & mœrorem reliquerunt nihil ! Exaruiſti, proh dolor ! pulcherrime plantarii floſcule ! cecidiſti formoſum Iuuentutis lilium ! abiiſti ſpes parentum & lætitia. O duram neceſſitatis legem ! O acerbam mortis tyrannidem ! O fati inclementiam immanem ! Sed fruſtra lamentis agimus Auditores, Iuuenis fuit N. N. Sed & homo; humanæ naturæ tributum eſt mori & quicquid *ortum* habet, *occaſum* expectat : Nulli non eadem terenda ſemita eſt. Hac lege naſcimur, vt moriamur. Præceſſit N. N. Serius aut citius omnibus & ſingulis ſequendum eſt.

Septimus Modus.

Per *Protaſin* & *Adopoſin*, hoc eſt, quando Orationem incipimus ab antiquitate aliqua; ſiue id ſit *ab exemplo*, ſiue *à conſuetudine gentis*, ſiue *ab Adagio* quodam, ſiue *à Sententia* uel *dicto Sapientis* alicuius; ſiue

Hu-

Hieroglyphico siue etiam à similitudine pulchra, aut aliquo alio: deinde rem nostram ei applicamus, eamque rationibus & confirmamus & exornamus. Solet hoc fieri dupliciter; *Primo*, quando rem, de qua dicimus simpliciter subiungimus, & subiunctam confirmamus, *Secundo*, quando partes *Protasis* cum partibus *Apodosis* & membra cum membris conferimus. Modus sic disponendi Orationem venustus est & valde usitatus eruditis, præsertim si ex occasione antiquitatis incipias discursum generalem, pertinentem ad rem de qua dicturus es.

EXEMPLVM.

Sit in hac Oratione gratiarum Actoria, qua captiuus aliquis hostis ab Imperatore & vita & beneficijs donatus posset gratias agere: Si sumeret pro fundamento Orationis, *consuetudinem Venetorum, quà solent singulis annis solenni plausu in Mare annulum coniycere, illudque quasi sibi despondere ac amicum facere*, Oratoriè sic:

Mos Venetorum.

ELA.

ELABORATIO.

Cor hominis mare esse tempestatibus varium, Sapientissimi iudicarunt olim, & nos quotidiè discimus N. N. Tamen sicut in commendationem cadunt nationes illæ, quæ quotannis consuetudinem suscepere runt, iniecto annulo Oceanum sibi despõdere, & quasi temerario hoc munere eius fidem deuincire: Non secus meritò in laudem veniunt illi, qui hominis Cor diuersis adfectibus quasi uentis tempestuosum beneficijs demerentur. Non tuæ Maiestati peregrinæ opis haud indigę, sed nostræ consuluisti varietati, his tantis ac tot muneribus vno pene temporis momento in hostes nos tuos, digna verè Imperatoris throno liberalitate effusus: Ita Cor nostrum Tibi obligasti, ut excluso cogitationum æstu in Te dies noctesque sua non poterit desideria non conuertere: quasi compedes iniecisti, obæratũ undequaque, ad tuum debeat nutum sponte ambulare. Orbis prædicet hanc animi tui celsitudinem, erga inimicos etiam benignam; Sciat æternitas hoc Tibi Cor

Gratiarum Actoria.

Protasis.

Apodosis.

COR eſſe Regium, quo & tuos poſſis Ciues & Hoſtes vnà complecti. Nos cum hanc throni tui aſſiſtricem Clementiam adoramus, tum hanc, quam à Te accepimus vitam, beneficijs impares refundimus: Hac vti, tui erit arbitrij; res adeò difficilis erit nulla, quam ſubire recuſabimus, rari pulchrum pro te moris: Quod dum fecerimus, ingrati adhuc manere nobis videbimur.

Octauus Modus.

Per *reiectionem*, quando ſcilicet incipimus ab eo, quod nobis contrarium eſt, illudque refutamus; deinde noſtram opinionem ſubiungimus, atque ad rem de qua dicere volumus, tranſimus. Et hic modus venuſtus pariter ac frequens eſt eruditionibus.

EXEMPLVM.

Si quis Profeſſor v. g. vellet ſuis Diſcipulis gratulantibus ſibi valetudinem reſpondere: Poſſet *prius* aſſumere fabulam *Momi* deſiderantis feneſtram ad Cor humanũ: eam-

eamque reijceret & ostenderet, quod per Verba beneuola & candide dicta, sufficienter animus videatur: *Deinde* gratias ageret pro hac ostensione & animorum dedicatione. Oratoriè sic:

ELABORATIO.

Responsoria, ad Gratulatoriam.

Pereat veritatis latro & emissarius inuidię satelles *Momus*, qui beneuolum non aliter animum, in cognitionem amici deuenire existimauit, nisi tralucens in pectore vitrum ad altissimos Cordis labyrinthos conspectum admitteret: Quasi verò mendax color non æquè luderet oculos, & quod nūc latebris tunc apertiori dolo non posset abscondere. Verba speculum cordis esse, voces animorum imagines scire debuit, & sicut radij Solē in notitiam deducunt, ita Orationes animum. *Clauis pectorum Lingua est*, aperit mentem, qui loquitur: Et quemadmodum, qui viam ad mare nescit, amnem sibi Ducē eligit. Ita, qui ignorat mentem, qui Cor indagat, per verba intelligit. Plus quam luculenti testes sumus, quando Scholam hodie nostrā in amoris.

ris mutui campum, & gratiarum amphiteatrum explicuimus. Produxistis imagines N. N cordis & animorum, & me tot ornastis adfectibus, quot verbis; Toti sinceri; toti lympidi, toti mei. Alter altero superior esse voluit, & dulci conflictu nemo vestrum victus est, singuli amorem euicistis. Sileant iam Athenienses annuas amoris ferias, in quibus Amicos amicis simulachra amoris mittere solenne fuisse legimus: Coloribus illi diuites animorum typos donare potuerunt; Vos ipsos animos obtulistis. Accipio gratissimè nobilissima munera, & quod *Aeschini Socrates*, hoc vobis polliceor, vobis vos meliores restituo.

Nonus Modus.

Quando Orationem incipimus aut per *extenuationem* nostrę facultatis & ingenij, aut *à magnitudine rei*, de qua dicendum est, aut *ab excellentia persona*, coram qua aut de qua dicendum; siue id fiat separatim ab his singulis, siue ab omnibus simul: Et ex occasione *generalem discursum* aut *de tenuitate dicentis* aut *de beneficijs magnitudine* aut *de excellentis persona* laude facimus.

Possum

Possum etiam ab optatione & voto Orationem dicere; optando mihi aut felicitatem alicuius, aut copiã & suauitatem omnium simul Oratorum ad explicandum animum meum, & postea subijcere rem meam, de qua dicere institui.

EXEMPLUM.

Si quis deberet nomine Reipub. Regi gratias agere & gratulari pro debellato hoste, posset ab extenuatione sui & à magnitudine beneficij præstiti Reip. ex personæ conferentis excellentia sic discurrere.

ELABORATIO.

Publicæ interpres lætitiæ & quasi omnium lingua ad tuam Maiestatem missus venio; vt singulorum animos ad Maiestatis tuæ pedes explicem & deponam. Felicitas, fateor, est tot cordium Atlantem fieri, sed metus, & sollicitudo me reuocat, ne aut magnitudinẽ oneris, obsequiũ tenuitate corrumpam: aut ad hoc officij minus idoneus anxia hærenteque deuotione grauius in præsẽtem delinquam Maiestatem. Quod enim iam ex orbis Comitio *Gratiarum Actoria.*

dari

dari poteſt ingenium, quod Eloquentia ſua ad nominis tui altitudinem aſſurgat; aut cum id non poſſit, ſaltim ad parem meritis venerationem, & gratias ſe demittat. Euiciſti obſequiorum noſtrorum abundantiam: & immortales alias gratiarum horti, in tuis beneficijs nobis deficiunt: Nec de diuite inopum penu vſitatum illud agimus gratias, niſi per violatam beneficij dignitatem poſſumus exprom̃ere: ita omnis facultatis poteſtatem debiti abſtulit magnitudo. Voluimus collatum Reipub. à Tua Maieſtate beneficium in noſtri affectus pignus præſentare, & è benefactoris (vt fieri amat) ærario noſtra redimere debita; ſed nouo rurſus miraculo experimur plus pictorum tabulas, quam mentem poſſe humanam; quod illæ orbem referant, nulla veri iniuria, aliqua molis: Hæc tuæ Maieſtatis in Rempublicam meritorum magnitudinem ita in ſummam cogere non poſſit, niſi & amplitudinem attenuat, & veritatem minuat. In his tamen gratitudinis noſtræ angu-

ſtijs

ftijs illud solari debet, quod hanc vobis magni Principes à natura impositam necessitatem, videamus, vt esse non possitis, nisi prositis: & sicut sidera lucem habent, vt effundant; ita vos dotes, & animos beneuolentia plenos, vt communicetis. Cum verò plurimis meritis hominum obligastis voluntates, hoc rursus vicinum vobis cum DEO est, par recipere non posse, & in gloriæ stipendium ex beneficijs dumtaxat sumtis dedisse. Vix dum in Regem nostrum ac Dominum ex orbis iudicio liberis suffragijs electus fuisti, nondum Maiestatis aurum capite indueras, & iam Te salutis publicæ ac felicitatis Parentem sensimus; agnouimusque luculentissimè in tuo nomine tantùm a virtute muneris, vt regni famam gubernaret, animos in spem erigeret, ciues securitate, hostes terrore percelleret: Et quis non cohortuit, Serenissime Rex, ad primas perduellis Moschi irruptiones: postquam tot annorum pacem in bello nobis fabricando posuisse audiuimus, tot valen-

valentes vndique ex orbis regionibus populos, immensis stipendijs collegisse, belli molem iam extra suarum fines prouinciarum exportauisse in Regni partem & ferro sæuire & igne, fossas nouo gentis artificio indies duci, delineari valla, erigi propugnacula, montes tot castris iam instructos, vias passim densis cratibus septisque impeditas? Ferale diluuium Patriæ incumbere ominabamur, & de coactis tanto turbine nubibus, ingentem sanguinis pluuiam, aut aliquam prouinciæ ruinam timebamus. Cum ecce Tu serenum sidus oriri cepisti & simul diem facere; vix solium ascendere & tuos conseruare: Vt curantibus Tuam satis gloriam occulte, hostem quoque tuæ laudis operarium fuisse viderimus. Quando enim tot ex orbis prouincijs manus comparasse recordamur, vel hoc nomine factum concludimus, vt per Te in illo Orbis vinceretur. Iuisti in persona ad eam partem Regni, vbi dolor erat, & siquidem iam Cor & anima Reipublicæ palpitabat anxiè, ibi sanguinem

guinem & auxilium cōtra metum & ſtuporem ſuggeſſiſti. Erigebantur ad aduentus tui famam, quæ prope in procliui erant,& terra illa uires ſibi ſenſit cum ſacro tuo veſtigio imprimi. Tum meliorem Te Reipublicæ *Mercurium* diximus, cum quocunque gladium ferres, animi populorum redirent: meliorem *Perſeum*, cum quidquid calcares,in laurum cederet. Quis inſomnes curas tuas,Rex Potentiſs. ſatis celebret? Quis exantlatas *Cœli* iniurias? quis in cæteris patientiam pro dignitate exaggeret? Hoc uniuerſum fatemur; tuis curis noſtram quietem; tuis vigilijs noſtrum ſomnum; tua inquietudine noſtram pacem procuratam ac fundatam eſſe. E tuo ſudore effloruit hæc palma & glorię Patriæ laurus, qua plerisque nationibus vmbram facimus: Ex tua manu, ſecundum DEVM, deſiderata manauit Pax, qua ſoli ferè in Europa felices hac bellorum tempeſtate fruimur; Tua Virtus, Tua fortitudo, petulanti hoſtium fortunæ frænos iniecit, ut ſeruire diſceret, & cum noſtram minuere ſomniaret, ſui imperij portionem haud exiguam pro-

ſtitueret, ac in redemptionis tributum Regno noſtro adnumeraret. Quis igitur noſtrum Cor tibi non ſubijciat? quis magnitudine beneficij & gaudij obrutus eloquentiam deliquium pati non ſentiat? Deſiderijs & votis amor & gratiæ perorant vbi vincuntur, & per me Reſpublica tuis meritis minor, æterno tuæ Majeſtati debito devincta, ſuperos precatur, ut diutiſſime Te in Regno adorare liceat, &c.

Decimus Modus eſt.

Quando rem ſub *Allegoria* tractamus: hoc eſt, quando accepimus alicujus *Allegoriæ* partes & adjuncta: & ſingula alicuius rei laudibus vel vituperio applicamus. Hujuſmodi *Allegoriarum* occaſio, maximè in ſtemmatibus nobis offertur. Vt v.g. Velles devictum Turcam ab Imperatore Romano deſcribere, poſſes ex ſtemmate gẽtis vtriuſque *Allegoriam* formare & dicere, quod *Turcica Lunæ cornua* ſuis decuſſerit expanſis Alis *Aquila Romana*, & in tenebras & noctem ſuam ſidus hoc barbarum com-

compulerit. Curanda autem ſunt hic diligenter duo; *Primo* Vt *Allegoriæ* accipiantur ex rebus non humilibus ſed magnificis; quales ſunt *res Cœleſtes*, *res naturales*, quæ magni æſtimantur: *res artificiales*, quæ rariores & celebriores ſunt. *Secundo*, Curandum, vt obſcura non fiat Oratio: & ideò apertis verbis ac ſimplicibus permiſcenda erit.

EXEMPLVM.

Sit in Oratiuncula, in qua *Chriſtus patiens* ſub *Allegoria* apiculæ mellificantis proponitur ſic: *Exemplum. 1.*

ELABORATIO.

Salve, magna Cœli Apis dulciſſime Servator Satis ſuperque nobis Te ſuauiſſimam eſſe Apem hi aculei tui probant, qubs fronti tuæ defixiſti; vt tibi aculeos, nobis mella relinqueres: deq; tuo capite favum ſalutis faceres, in quotquot dulciſſimi nectaris cellulę, quot perforatæ ſpinarum aculeis rimæ eſſent. Horruimus hactenus cognominis illius vtilitatem, quando Te vermem & non hominem vocaſti: *Chriſtus patiens ſub Allegoria apis melliſ.*

quasi magnus superbusque titulus esset Deo homini, hominem uocari; Nunc autem, cum non quemque inutilem abiectumq; uermem, sed apem Te esse circa Caput densissimis aculeis edocemur: amamus in tam vili homine suauitatem, satisque iam mellis ad animæ pabulum a Te nobis paratum arbitramur, cum sic Te uocasti. Sed Tibi magnæ Api parum hoc fuit, nisi nobis plus, de tuis doloribus mellis faceres, ut non tam uocula, quam fructu Te nobis Apem probares. Ergò in hortum *Gethsemani* primum uolasti, ut eo loco redemptionis mella colligere inciperes, nec alibi dignius, quam in horto apis caperere, inde Te parricidarum crudeles manus, tamquam ventorum tempestates, ad iniqua iudicum subsellia, cæteraque supplicia asportarunt; & tamen, quasi prata quædam nactus esses, ita ibi mel salutis fecisti, ubi felle acerbissimo pascebare: Nec verò hæc deformia in vultu tuo sputa contemno; quia suauissimi oris tui contactu, in suauissimum nectar sunt conuersa: nisi aliquis forte credat Apis Paradisi, in ore tuo aliquid, quod

quod mel non esset, esse posse. Vulnera quoq; tua non aliter aspicio, quàm in tanto alueari, id est, corpore tuo magna foramina, è quibus hyblæo nectare quouis gratior sanguis promanauit. Ita enim suauissima Apis etiam sanguinem tuum mel facis, memorque te esse florem, de Te ipso mel legis. Merito dulcissimus vocaris Saluator; quando quidem Te undique sanguine quasi suauissimo nectare perfudisti: & quod de *Terra promissionis* narratur, melle atque lacte affatim de tuis vulneribus manante, totus immaduisti. Caput tuum plenum rore, sic in pectus demissum index est, multum diuini mellis in tuo pectore esse, indeque suaue animæ libum peti oportere. Curemus ergò, ò inutiles tui, placida Apis, fuci, ut laboris ignari, parato à Te melle de tuo pectore perfruamur. Alius nobis uberior fauus non erit, quam is, quem in corde tuo hasta perforato, tuus ille amor magnus mellis artifex aperuit. Aculei hi tui nihil terrebunt, quos tu sanguine capitis tui imbuisti, ut nulli terribiles essent. Denique iuuat ad tuum

mel, ò ſauiſſima Apis, etiam per aculeos peruenire.

EXEMPLVM ALIVD.

Exemplum. 2.

Sit in illa Oratiuncula, in qua Chriſtus patiens ſub *Allegoria* horti veptibus conſiti proponitur. Sic:

ORATORIE.

Chriſtus ſub allegoria horti.

Aue delicate animarum Hortule, ac veprium corona, tamquam armato quopiam firmatoq; ſepto admodum munite. Fideliter hactenus claudebaris, nec vlli omninò interior opum florumque tuorum copia & pulchritudo vndecunque aperta fuit. Nunc primum ad Te tot januæ quot vulnera patuerunt: per quæ tota florum tuorum pulcherrima forma, clariſſima à quolibet poteſt videri. Mali agricolæ Iudæi, omnia tua membra in pulchro corpore ararunt: vt virtutum lilia, reliquaque animi decora, in Te non tam plantarent, quam plantata aperirent. Vultum quoque tuum omni prato amæniorem, turpi labiorum pectorumque

que fimo commacularunt; vt inde fœcundi aureæ gloriæ manipuli, hilari olim vbertate mererentur. In manu verò tua, in illo nempe tam amplo diuinorum virtutum perenniumque Nardorum aruo, leuem plantarunt arundinem, quæ, vt vt nihil præclari habeat, contemtu tamen tuo nimium floret, & damnato ad vilitatem vanitatemque homini imperia & regna parit. Pulcher in ore tuo liuor violarum colorem præfert; factæ toto in corpore maculæ, maiorem quolibet Amaraco inhalant odorem: & quot rubicunda vulnera, tot veluti pulcherrima in nouo Horto poma viret vernantque. Hæ quoque ab nimirum duræ immanesque virgæ, quæ Te auream Vitæ Arborem ceciderunt, cruore tuo tanquam fœcundo rigatæ imbre, in noua germina pullulauere, fructumque grandem animarum affatim protulere: vt non iam rudium immaniumque virgarum, sed nobilium palmarum, sed pulcherrimarum laurearum habeant Maiestatem. Botri loco cor tuum pono, è quo duo optima animæ

vina, sanguis nimirum & aqua tam largo flumine manarunt. O Hortum tanto fructuum florumque varietate fœcundum! O vineam hac aurea vbertate ornatam! Parco nunc tuæ crudelitati barbara carnificum furia parco! Pulcherrimoque huic Horto meo veprium à te super iniectam molem, non adeò grauiter fero; siquidem inde armatum tutùmque vallum ac munimentum Horto meo paratum animaduerto. Flore beate! Hortule flore! &, ne quid à me quoque Operarum requiratur, hanc meam tanquam exiguæ auiculæ cantilenam in Te audiri admitte.

Exemplum 3.

EXEMPLVM ALIVD.

Gratulatoria Noui anni sub Allegoria Maris.

Sit in illa Oratione gratulatoria Noui anni, in qua Annus sub *Allegoria* maris proponitur: sic v.g.

ORATORIE.

Anno velut Mari committimur, per tot vndas uehendi, quot dies; per tot fluctus & procellas, quot horas & momenta. Ecce ad portum

tum adhuc & prope littus consistimus: quidni, quod prudentiores Nautæ in consilijs habent, votis vela instruimus, ducem itineris cœleste sidus intuemur? Magnetem cursus magistrum expedimus. O Auguste temporis & fortunę Imperator, qui educis de thesauris uentos, lenem fauoris zephyrum adspira! aut si mauis nobilem gratiæ tuæ Fauonium, ut siccis oculis monstra natantia, decertantem Aquilonibus Aphricum, naufragos fluctus, sonoras tempestates, & si quos alios occasio obiecerit scopulos, felici progressu transeamus. Sed quid vndas? quid procellas perhorrescimus? Cœlestem hodie Cynosuram nomen IESV accepimus; non mergendi certò, si pietatem pectoris in Magnetem adhibeamus: mugiat procella & madidam minitetur mortem! IESVM voca; vita est, sedabit. Misceant Cœlum Terramque Venti! IESVM aspice & obmutescent. Diem eripiat Tempestas & *Ponto Nox incubet atra*! IESVM intuere, Lux est, fugabit. Irruant Balenæ, & Cete grãdia, aut si quod monstrum Ma-

re parturit crudelius! Ad IESVM curre, Asylum est, tuebitur. Meliu cum IESV quam sua fortuna CÆSAR nauigabis, & quasi ferres Halcyona, quocunq; ratem direxeris, malaciam facies. Quis enim saluti nocere præsumat, vbi salutis tuæ custodem ipsam salutem viderit. Ite felices temporis Naturæ, & iam decisis rudentibus, mergite remos, transcendite fluctus, subigite procellas; cursus ego vestri me socium porrigo, & votis meis ac desiderijs IESVM itineris annui. Actorem ac portum non magis exopto quam exoro.

CAPVT III.

De Orationibus Sponsalitijs.

TAnta est Orationũ prodigalitas, quibus Nuptias exornant hocce seculo, vt in Catalogum redigere ferè operosum sit. *De quadruplicib.* hic agere tãtũ est animus nempe de SPONSALITIIS; de NVPTIALIBVS, & EPITHALAMICIS, deque MVNERVM OBLATORIIS: Nam vel hę celebriores sunt, vel ad eas cæteræ re-

uocantur. Iam verò *Sponsalitiæ Orationes* illæ dicuntur, in quibus Sponsa à Parentibus impetratur, vel per amicos Sponsi, vel aliquando per ipsum Sponsum: & Parētes vel Patroni Sponsę respondent, vel promittendo, vel negando, vel differendo. Sit itaque *Orationes Spōsalitiæ quæ dicātur.*

QVAESTIO I.

Quomodo conficiatur Oratio, in qua petitur à Parentibus vel Patronis Sponsa per amicos Sponsi.

Qui petiturus est Sponsam à Parentib. vel Adfinibus vel, Patronis debet *Primo* inuenire *Rationem* vnam vel plures, quib. dicat, Sponsum esse inductum: vt hanc coniūctionē desideraret, *Secundo* inuentas *Rationes* debet aliquo modo ex supra dictis decem disponere. Hæc tamen puncta obseruet: præcipuè *Primo Rationes* tales inueniat, quibus facile animum Parētis vel Adfinium Sponsæ conciliare possit, & ad Connubium permouere. *Secundo*, Pone laudem Sponsæ, & Parentum eius à familia, à virtutibus, &c. *Tertio* Exponat, quis sit sponsus, quo genere, quibus dotibus,

Petiturus Spōsam notet.
1.
2.
Obseruet ad hæc.
1.
2.
3.

virtutibus, meritis ornatus: breuiter quidem si notus est, latius au-
4. tem, si ignotus. *Quarto* Explicet, quo adfectu & desiderio ad hoc Cōiugium feratur, quam magno,
5. quam iusto, quam perpetuo. *Quinto* Si differri non placet, petat promptum ac determinatum responsum: Si verò placet differri, dicat, quod Spōsus uelit dare suorum morum & animi experimentum. Solet etiam fieri indolis & possessionum Sponsi mentio, sed communiter hoc punctum priuatim tractatur.

Obserua, quod, si aliqua alia puncta occurrant, quæ in argumentatione commodè exprimi non possunt, debeant conclusioni subijci.

Eiusmodi Oratiunculas facilè conficies, si ad iam dictos modos decem fueris attentus. Ego, ut Te vel leuiter manu ducam, aliquot Praxes hic dialecticè dispositas subijcio, quas Oratoriè vertendas tibi relinquo.

1. PRAXIS PRIMA.

Virtus speculum interioris hominis est: & Magnes non oculos tantum,

tùm, ſed pectora & volũtates aliorum ad ſe inclinans. Aſt in Tua, N. N. domo eſt virtus. *Ergò* inclinant & oculos & voluntatẽ Domini N. N. *Maiorẽ* exorna *Ratione* aliqua vel Similitudine. *Minorem* proba ex laude familiæ eius, quem petis. In *Concluſione* pete, ut annuat uoluntati inclinatæ: & ſi qui adfectus & officia occurrent, ibidem pone.

PRAXIS ALTERA. 2.

Vulneri ſuo quiſque medelam quęrit; Ceruus telo ſaucius ad herbam *Dictamum* natura docente feſtinat: Hirundo *Chelidoniam* inquirit, ut oculos recuperet. (Plin.) Vulneratus quoq; eſt ab amore domus tuę Clariſſimus Dn. N. N. & maximè à filiæ tuę dotibus; quam Oculum & pupillam oculi ſui nominat. Igitur remedium petit vulneri cordis. Et quia in Amore idem, qui facit vulnus, ſanat; In domo tua à Te, Nobiliſſime Domine, ſuppetias rogat, ſuccurres ei pro tua gratia.

Ceruus Dictamũ ſaucius quærit, Hirundo Chelidoniam.

PRAXIS TERTIA. 3.

Ignis & Amor in hoc conueniunt, quod aliquandiu latere poſſint,

sint, sed tādem debeant erumpere. Fuit Amor pridem in Corde. N. erga te & domum tuam N. Accēdit eum claritas Maiorum tuorum & familiæ nobilitas & virtus tua & virtus filiæ tuæ. Latuit hactenus, sed iam per nos ecce manifestatur: atque ut fomentum in domo tua per gratiam tuam inueniat, orat.

PRAXIS QVARTA.

4. A veritate non aberrarunt illi, qui Amori Citharam dederunt, & alterum *Orpheum* nominarunt: Non quod Syluas & Saxa in Vrbes & communitatem conuocet, ut ille, sed quod suaui melodia & concentu animos & corda in pulchram amicitiam connectat. Lusit hic Amor Nob. Domino N. & quidem suaui concentu uirtutum tuarum N. N. Maiorumque tuorum, præcipue Aui N. Proaui, fratris, &c. Igitur hoc concentu victus, merita domus suæ cum meritis domus tuæ, Virtutes suorum Maiorum, cum virtutibus tuorum Maiorum coniungere desiderat, atque adeo Cor suum cordi tuo sibi ijcere per nos petit, ut sibi liceat.

PRAXIS QVINTA. 5.

In hominum notitia habitare & fama ita pulchrum est, ut generosę mentis possessores uniuersas inter curas hãc principem numerent, & in votorum culmine portent. Hinc & Romanus ille crystallinam domũ, vitreos parietes & perspicuos habere optabat, ut uelut in theatro & cognitione omniũ uiueret. Sed quid opus est crystallo? res cum uirtute gestæ pro Ecclesia & Patria clarissima specula sunt, quæ nobilem familiam tuam N. in omnium pridem cognitionem deduxerunt, deduxit N. hoc, cum consideraret Nob: Dominus N. maturo secum consilio conclusit, meritorum horum particeps fieri, atque ideò, ut hæc illi fortuna contingat, per nos enixè postulat.

PRAXIS SEXTA. 6.

Amicum sibi sincerum & socium reperire inter labores & curas gratissimus est. Nam & quæri sapienter debet, & inueniri uix aliquando inter mille solet. Ideò & prudentes antiqui, quærenti Amicum tabu-

tabulam proponebant, in qua Cor inter oculos, lampades & stellas depictum esset, cũ hac inscriptione; *Vide cui*: quasi monebãt, Amicum quęrere, esse, Cor velle tradere. Sed hic cẽtoculum *Argum* esse oportere; nec unam *Diogenis* lucernam, sed mille accendendas, imò cęlitus lucem petendam, ut satis cautus & felix inueniaris. Non temerè, sed matura deliberatione rem exegit Dominus N. antequam nos ad Te Domine N. mitteret; ut hoc grãde munus, Cor suum in domo tua posset deponere, atq; nobilem thesaurum, amicum perennem inuenire. Persuasit hoc illi uirtus familiæ tuæ, uirtus tua &c. Vt ergò desiderio illius annuas, & nos petimus.

QVAESTIO II.

Quomodo Oratio facienda sit, in qua Sponsus ipse Sponsam petit?

Sponsus ipse petiturus Spõsam. Hæc Oratio eodem modo disponi debet, quo & aliæ; hæc enim puncta in ea obseruãda sunt. *Primo*, ut reddas Caussam, cur eã coniunctionem desideres. Caussæ autem plerumq; sumuntur ex laude familiæ

Spon.

Sponsę & parentum eius. *Secundo*, ut magnitudinē adfectus declares, quo ad eam coniunctionem trahe ris. *Tertio*, si ignotus es, qui Sponsam petis; manifesta conditionem tuam & possessionem, modestè tamen: si notus es, fac idem, sed breuissimè. *Quarto*, si placet differri responsum, dicas te ex dilatione non offendendum; si uerò non placet, pete responsum quāto citius. *Quinto*, Omnem gratitudinem & ad omnia obsequia animum paratum offer: Et, ut Verbo me absoluam: In Oratione eiusmodi dicendum est, quid petas, quare, quis uel à quo missus, & quanto adfectu.

Praxes uel similes, uel eædem, quæ iam datæ sunt, hanc Doctrinam illustrant: tantùm ibi alieno fit Oratio nomine, hic proprio.

QVAEST. III.

Quomodo facienda sit Oratio, in qua respondetur Sponso vel Amicis eius petentibus.

Qui respondere volet, siue *concessurus*, siue *dilaturus*, siue *negaturus*; hęc debebit puncta exprimere. *Responsoria ad petitoriam Sponsi.*

Primo

Primo dicet, sibi summe gratum esse adfectum petentis, & se merito iure ad compensationem teneri. *Secundo*, Laudes suas & merita modicè & modeste extenuabit. *Tertio*, Si Sponsus notus est; dicat, merita eius & sibi & omnibus aliis perspecta esse: Si verò ignotus fuerit, dicat, se minimè dubitare de eius dignitate & excellentia: atque plurimum se ei debere, quod è longinquo venerit, ut studia sua & officia offerret. *Quarto*, offerat gratum animum etiam Amicis ipsis, qui à Sponso missi fuerunt, & eorum gratiæ se quoque commēdet.

Concessurus notet.

Præter hæc puncta, si *Concedere* uoles, quod petitur, *Quinto* dices, Te concedere & in parte felicitatis futurum tibi aduentum Sponsi; quem proinde inuitabis, ut domi Tuę imposterum, siquidem elegit, tanquam Amicus & domesticus agere velit. Quod si verò *Differre* volueris, dices, Te paratum quidem esse ad omne obsequium, rogare tamen, ut absque offensa rem differre liceat, & maturiore consilio digerere: siquidem hoc certissimum futurum est, quod fata ordinauerunt. Quod si *Negare* voles, præter

Dilaturus.

Negaturus.

præter ſupra dicta puncta, hæc *tria* maximè obſerua: *Primo* liberalius Sponſum à virtutibus & meritis lauda. *Secundo* Cauſſas da, quare neges, tales tamen quæ Sponſum non offendant: Sumuntur verò hæ paſſim vel ex alia intentione Sponſæ, vel ex ordinatione diuina. *Tertio*, Roga, ut hoc fiat ſine læſione amicitiæ, & offer obſequia tua Sponſo, Procis atque Amicis pro omni alia occaſione.

Pono *Praxes* Dialecticè diſpoſitas, quas ubi placuerit, Oratoriè vertes.

PRAXIS CONCEDENDI

Praxis Concedē di. Prima. Maior.

Prima.

Iure hoſpitalitatis apud eos, qui humanitatem colunt, debet gratus eſſe, ſacer & acceptus omnis quidem hoſpes; Ille tamen, qui cum noua amicitia, nouo domus ornamento venit, & cum gemma ſingulis optanda, non poteſt non eſſe gratiſſimus, etiam ei, apud quem crudeliores mores humanitatem nonnihil libauc-

bauerunt. *Ratio est*: Quia, *qui Amicitiam offert, adfert solatium & senectuti parentum, & amicorum desiderijs, & filiorum votis ingen.* &c.

Minor. Sed Vos, Nob. Domini cum noua Amicitia N. in domum meam venistis, & in beneuolentia, erga me seruum vestrum, planè prodigi, adfirmatis, & Vos & Eum maximè, cuius nomine venistis, meis meritis & uirtutibus prouocatos esse. Vtinam esset aliquid in me & domo mea, quod tantorum virorum oculos & corda posset aduertere. Lætor tamen, Nobilissimo Domino N. aliquid in me placuisse, & hunc adfectum, quem mihi domuique meæ offert, libenter accipio, eiusque uoluntati respondere paratissimus sum: ratus domum meam tanti uiri dotibus & uirtutibus consecratum iri. Ceterùm oro enixè, ut Dominus N. si quidem ita satis placuit, ad me & domum meam, iam non ut nobilis Hospes, sed ut singularis Amicus, aut filius potius imposterum diuertat.

Conclusio.

Se-

Secunda.

Secunda. Et laudare adfectum Domini N. & me domumque meam felicem hodie prædicare debeo. Orbi enim notum est, quantę familię & quantorū Parētum homo suas uirtutes & monilia in domum meā inferre desiderat, prout ex vestris verbis N. N. intellexi; Cœcus sim, si ornamentū non uideam, quod ex utriusque domus cōiunctione consurget; Barbarus, si tātum Domini N. adfectum nō admitto. Inuidus mihi ipsi & domui meæ, si huic fortunæ fores & ostium non aperio. Veniat Dominus N. ut Amicus & filius noster, si quidem Deo, si quidē illi placuit, & nostram domū suis meritis & dotibus exornare pergat. Vnicum nostræ senectutis fulcrum erit, & solatium ingens. Vos uerò N N. qui tantæ felicitatis authores esse cœpistis, gratia uestra & adfectu singulari adestote. Vobis ego & domus mea, ęterno gratiarum uinculo obligabimur.

PRAXIS DIFFERENDI.

Praxis Differendi.

Non soli uos lumen domus meæ intra-

intraſtis N. N. vobiſcum venit lætitia omnis & ipſa fortuna, nobile & aureum vinculum manu offerens, quo corda & domus noſtræ in perennem concordiam colligentur: Et non gaudeam, quando Dominus N. tot Maiorum ſuorum, tot ſua merita hic deponere, & apud me deſideria ſua coronare deſiderat. Vtinam aliquid in me aut domo mea eſſet, quod hunc animi impetum Domino N. ſuccendere potuiſſet! Sed cum nihil dignum videam, adfectum tamen & voluntatem meam petitioni Domini N. inclinos Deum ter O. M. precor, ut felix principium felici exitu definiat. Vobis N. N. immortales gratias refero, pro fauore, adfectu, lætitia, cuius Authores ueniſtis, oroque enixè, ut mille ſalutes Domino N. à me dicere dignemini; poſtulantes, ut deliberationi aliquod tempus concedere non grauetur: Magna quippe magnis ſunt incipienda conſilijs. Erit vtique hoc certiſſimum; quod adamantinis libris Fata futurum inſcripſerunt: nec uoluntati diuinæ vlla mora temporis reſiſtet.

PRA.

PRAXIS NEGANDI.

Praxis Negandi.

Et hoc mortalitatis infortunium eſt,quod fortuna frequenter occurrentis, vltrò Dominos fieri non liceat: debeamuſq; inuiti interdum felicitatem è gremio eijcere. Eſt Altior ſupra nos Poteſtas, quæ cogitationes & voluntates noſtras ordinat, vt noſtrum ſæpe numero tantum proponere ſit,Illius propoſita diſponere. Nonne feliciſſimus ego hodie ſum,ad quem Dominus N.omni ex parte,ſiue Maiores ſpectes, ſiue ipſiuſmet ſtudia & merita,Nobiliſſimus diuertit,ut ęterno fœdere domum meam tantarum virtutum heredem faciat.Sed ecce iam aliter cecidit alea;aliter Deus, qui diſponit omnia,diſpoſuit.Quare ſi Domini N. voluntati hac in re reſpondere non poſſum,pro alia omni occaſione obſequia mea & ſtudia domus meæ,pro hoc fauore & honore offero: enixè ſimul precor, vt priſtina gratia me excidere non ſinat. Vobis etiam N. N. pro obſequijs & ſtudijs veſtris, æterno me compenſandi debito obligatum profiteor.

QVAE-

QVAEST. IV.

Quomodo aliquæ aliæ Orationes parantur, spectantes etiam ad Sponsalia?

Aliquæ aliæ Orationes quomodo perficiantur.

Multæ sunt aliæ Orationes, quę haberi solent à modernis Politicis ante & post Sponsalia: Sed de omnibus dicere non est necessarium; eo quod uel similes sint prædictis, uel ad eas pertineāt, de quibus iam sumus dicturi. Nam *Gratiarum Actio* pro promissione; utiq; ad *Gratiarum Actorias* pertinet. *Significatio de aduentu Sponsi,* utique spectat partim ad *Salutatoriam*, partim ad *Petitoriam:* quia in illa nihil aliud agitur, nisi salus dicitur à Spōso, & ostenditur feruor durantis desiderij: deinde facta mentione temporis, petitur nomine Sponsi, ut actus ille utrique domui honorificus terminetur.

DE DESPONSATORIIS.

Orationibus hoc habe.

Desponsatoria.

Desponsatio est, cum iam mutua promissio fit futuri Matrimonij, præsētib. Amicis utrinq; & testib. Certaq; pacta & leges ex vtraque parte

parte intercedunt. In Oratione ergò desponsoria hæc puncta exprimimus. *Primo*, Explicamus Dei nutum & lætitiam Amicorum Sponsi, qua hanc futuram conjunctionem prosequuntur. *Secundo*, Exponimus adfectum, quo omnes eam optent, & gratias agunt Paréntibus & Amicis Sponsę, pro hac in se propēsione *Tertio*, Ominamur, quod decus, quod solatium inde in vtramque familiam sit venturum. *Quarto*, petes, vt gratiæ promissæ Confirmatio in conuentu tot illustrium virorum & Amicorum peragatur. Ejusmodi Orationes vix differunt ab ijs, in quibus Sponsa petitur: nisi quod ibi coram Parentibus aut Adfinibus Sponsę fiat; hic verò coram Amicis vtriusq; partis, & quod hic petatur promissæ gratiæ confirmatio vltima: Quare praxes superius dictę facilè hic accommodari possunt.

Est alia Oratio, in qua solet petere facultaté Sponsus deuouendi se in famulum Spōsæ; aut se vltrò deuouet in obsequia illius. Hanc cōstruendo hęc exprime puncta: *Primo*, Expones adfectū gratitudinis ob factam promissionem: & quam *Nota.*

Te lætum, quam felicem hæc promissio fecerit, explicabis *Secundo*, Ages gratias, quod Te dignum famulatu suo habuerit, & rogabis, vt imperare tibi quam plurima velit, vt animum tuum ei obsequijs tuis possis aperire.

PRAXIS.

Et me copia gaudij verborum facit inopem; nec possum eloqui, quæ lætitiæ pectus meum inundauerunt, ubi precibus meis locum apud Te concessum video, & me nobili promissionis debito obligatum. Illud gaudia identidē sufficit, quod seruus tuus esse cœperim: Hoc dulce nomē ante omnes titulos cordi meo vicinius est: hoc eūtem, hoc sedentem oblectat. Cujus dignitatem ut iure portem, & iure portare merear, vnū oro, vt audacter imperes, & certissimo imperia ante vitam mihi esse experieris.

SENTENTIÆ VARIÆ.

His materiis seruientes.

Oratoria Supellex. *Qui inuenit Amicum, Thesauri inue-*

inuenit.(Eccl c.6.)Applica,inueniſſe ſibi videtur Dominus N. in domo Tua Theſaurum,morum,virtutum,ſtemmatum, ſplendorum, charitatis.

Sine amico omnis cognatio eſt tædium, omnis operatio labor, omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum; ſine eius ſolatio viuere eſt mori. (Caſſiodorus in Epiſt.)

Quicquid Amor iuſſit, non eſt contemnere tutum (Ouidius)

Gubernatores accommodant ſe ventorum mutationibus, & viri ſapientes adfectibus(Stobæus.)

Amor eſt latens ignis, gratũ vulnus, ſapidum venenum, dulcis amaritudo, delectabilis morbus, iucundum ſupplicium, blanda mors. (Petrarcha)

Quod eſt in Nauigio gubernator, quod in Ciuitate Magiſtratus, quod in Mundo Sol; hoc inter mortales eſt Amor. Nauigium ſine Gubernatore labaſcit; Ciuitas ſine Magiſtratu periclitatur; Mundus ſine Sole obtenebratur: & mortalium vita ſine Amore vitalis non eſt. Tolle ex hominibus Amorem; Solem è Mundo ſuſtuliſti, (Philip.Beroald.)

Vt vincula ex commissura vires accipiunt, sic ex consensu Viri & Mulieris familiæ status. (Augustinus.)

Amicitia est diuitibus pro gratia; pauperibus pro census; Exulibus pro Patria; imbecillis pro virtute; pro medicina ægrotis; mortuis pro vita. (Petrus Plesen.)

Amicus est animæ dimidium. (Horat.)

Nulla est Amico iucundior possessio. (Canic. Græc.)

(Idem.)

Quærendus ægro medicus est corpori, & ægritudini mentis amicus.

(Idem.)

Fama præsens absentes parit amicos. (Petrarcha.)

Si Amicum inuenisti, magnas te diuitias inuenisse scias.

(Idem.)

Magnus Thesaurus est amicus.

(Idem.)

Cui amicus abest; manus ei dextera & oculus abest.

(Idem.)

Amicus magis necessarius est, quàm ignis & aqua. (Plutarchus.)

Amicitia, quæ disiuncta sunt, pro-

propinquit efficit. (Nazianzenus.)

Amicus animæ custos. (S.Greg.)

Amicus in pectore quæritur, non in atrio. (Borea.)

Amicus est alter ego, igitur qui amicum non habet, se non habet. (Hieronym.)

Anima ibi plus est, vbi amat, quàm vbi animat. (Cato)

Arma potentissima sunt hominibus Virtus. (Arist.)

Quatuor abscondi non possunt: Amor. Tussis, Ignis, Dolor. (Tympius.)

Vnus Homo nullus Homo. (Adagium.)

Amicus est anima in duob. corporibus vna. (Aristotel. apud Dio. Laert.)

Non est amicus, qui sempiterno non amat. (Arist.l.Rh c.20.)

Non est Amicus, quisquis amare desit (Eurip.in Troa.)

Amicitiæ immortales, mortales verò inimicitiæ esse debent, (Liuius)

Amore concitatur Amor: Magnes amoris Amor. (August.)

Dogma naturæ est, vt amatus ames. (Nazianz.)

Ostendam tibi potissimum remedium Amoris, vt ameris ama. (Seneca.)

EXEMPLA, & ALIA.

Supellex.

Catenæ, pedicæ, manicæq; sunt Symbolum vitæ coniugalis. (Pierius) Applica; Dominus N. non refugit hæc vincula dulcia, sed appetit.

Vxores sunt aureæ compedes rationis & adfectus. (Senec. in Dial.)

Parthen. Sodal. Symbol. Catena sine nexu connexa.

Parthenica Sodalitas in collegio Romano habuit in Symbolo suo CATENAM *ex annulis non nexis sibi inuicem, sed secreto complexu à superstante magnete compositis; nam Magnes primo attrahit annulum ad se, annulus vi attractiua imbutus, trahit secundum, secundus tertium; & sic fit catena sine nexu connexa: Lemma fuit:* ARCANIS NODIS. (Petrarcha.) Applica; potentem Magnetem Amorem esse; qui corda hominum arcanis nodis connectit, & ad se pertrahit.

So-

Sodalitas Mariana aliud Symbolum habuit: Columbam odore perfusam, quam gregatim aliæ insequebantur: cum Lemmate; IN ODOREM. (*Petrarcha.*) Emissa enim vna odorifera colũba, plurimas adducit. Applica. Te odore famæ, virtutis, Domini N. adductum esse. *Sodal. Mari. Symbol.*

Duæ faces vinculo colligatæ, sunt Amoris mutui indicium. Significatur etiam per Lyram Amor, quia debet esse concors. Liræ autem ea vis est, vt non solum *Alexander*, ludente *Timotheo*; sed & saxa paruisse, ludente *Amphione*, dicantur (itidem.)

Amorem magnum Deum esse, dixit, (Plato.) *& omnipotentem; quippe cui nec Hercules resistere potuit; & cuius famulum se esse Socrates ex Delphico oraculo Sapientissimus publice professus est: Et quid non vincit Amor?* Applica, Et Te ab Amore deuictum in Domum D. N. opima Spolia Te & tuos Maiores deferre.

Apud Athenienses Amori in eodem Templo cum Pallade Sacra fiebant. (Rauisius l. 4.) Nimirum, vt Sapienter ames non temere: *Tẽplum Amori ac Palladi Commune.*

amare enim & ſapere vix Deo conceditur.

Fidei Imago. *Romæ Imago Fidei ſic fuit expreſſa:* Ab vna parte ſtabat *forma Viri*, cui nomẽ erat adſcriptum HONOR. Ab alia parte erat *forma Virginis*, cui adſcriptum erat nomen VERITAS. Hæc autem Honori manum porrigebat: Inter has duas ſtatuas media ſtabat alia, cui nomen adſcriptũ erat AMOR: (Guiel. Choulius de Imag. Deo & nat. Gall.) *Applica:* Hæc duo eſſe, quibus Amor ſuperuenit; nempe *honorem natalium*, *& Veritatem adfectus:* quæ duo cum dominus N. habeat, & in Domo, D.N. eſſe agnoſcat, *tertium Amorem*, videlicet ſuperuenire deſiderat.

Amicitia pomo lucrata. (Tympius.) Mater dedit filio *tria poma*, vt hũc inſtrueret, quem eligere amicum deberet. *Hunc nimirum, qui traditum ſibi pomum æqualiſſime diuideret:* Nam qui ſibi maiorem ſumeret partem, hunc vtilitatis ſuæ ſtudioſum fore putabat: Qui ſibi minorem accepiſſet partem, & filio reddidiſſet maiorem, hunc Adulatorem: qui æqualem ſibi & filio ſumpſiſſet, hunc verum amicum, &

& sincerum. Applica *per Rejectionem* arguendo temeritatis, quo Amorem pomo lucrari vellet: Non sic Dominus N. COR, *Se, Sua offert.*

Lucius Sylla cognomine *Felix* hoc primum inter fortunas sibi esse dixit, *quod P. Metellum haberet Amicum.* (Plutar.) Applica: Dominus Feliciorem se habebit, si apud Te Amicitiam poterit inire. — *Sylla Felix.*

Lacanarum Virgo quædã, roganti cuidam, quam dotem esset allatura, respondit, *Pudicitiam, virtutem mihi a Maioribus traditam*, (Plut. in Apophtheg.) — *Virgo.*

Amor alas habere pingitur, sagittas item & arcum. Pingitur etiam Amor in vna manu pomum habere, in altera papauer: (Pyerius l.46. Idem l.54.) significat iucunditatem fructuosam, securitatem & fęcunditatem. — *Amor.*

Narratur, olim Amicos duos ad *Vulcanum* iuisse, postulantes, *vt se in vnum hominem transformaret & transcuderet.* (Nat. Comes Myth. l. 7. c.8.)

Mos antiquus fuit multorũ, *vt Nuptias præstãtium Mulierum virtutẽ* — *Mos Antiq.*

comparandas proponerent. Sic *Antæus Rex Lydiæ* filiam suam *Alcem* victori cursus proposuit: Sic Danaus filias, *Pisander Camirensis* Sorores &c.

Atalanta. (Nat. Comes in Myth. Et Ouidius in metam.) *Atalanta Iessi Regis filia corporis viribus & elegantia atque pedum velocitate excellēs, nulli volebat nubere, nisi a quo in cursu esset victa. Multi attentarunt hæc sponsalia, sed victi ab illa, sicut conuentis fuit, in pœnam occisi sunt.* Tandem *Hipppomenes* tria poma aurea sumens *ex Hesperidum hortis* cum illa certamen ingreditur & quoties antecedit *Atalanta*, toties *Hippomenes* ad partem pomū aureum projecit, cujus pulchritudine & pretio capta morabatur, & pomum sustulit. *Sic ter dum fecit, victor euasit, & Sponsam accepit.* Applica; Ludicra esse hæc media quærendi Sponsam.

Pythagoras. (Erasm. in Apophtheg.) *Pythagoras docebat, eos qui amicitiam colere vellent, omnia ad commune conferre debere.* Applica; hoc vult facere Dominus N. omnia quæ a parentibus decora & à virtute sua habet, ad vsum Amicitiæ

ec.

ecce confert. ...

(Alex.ab Alex.lib.2.) *Apud Græcos & Macedones dū inibant sponsalia, Sponsus & sponsa debebat panem gladio diuisum gustare.* *Carol.Frid.Dux Iuliacensis pro Symbolo habuit parmam sicut scutum cordibus humanis plenum cum inscriptione*: Hic Murus Atheneus Esto. Applica; omnes nos defendere nitimur ad hostili tempore & obliuione subruente omnia; nullus autem murus fortior est, quam concordia familiarum & conjugum in quo tot corda connectuntur, quot in amicitiam admittuntur.

MosGræcorum.

Symbolū Friderici Duc. Iulia.

Plinius ait (Lib.16.natur.histor.) *reperiri Arborem quandam nomine LARIX, quæ igne non comburitur, quin potius si in ignem conjiciatur, ac si esset lapis, omnis flammis resistit*; quod experimento probauit *Cæsar*, circa ciuitatem *Gezgobiam*; ibi namque erat Turris ex hoc ligno confecta, cui ignem apponi jussit; & cum flammis vndequaque circumdaretur, nullum detrimentum passa est. (Cælius Rodig. lib. 6. antiq. lect.)

LARIX.

Turris.

(Alex. ab Alex.l.4.c.7.) *Lacedemonij*

Amori victimæ.

mony priusquam ad bellum mouerentur, victimas *Amori* immolabant: Cur non potius *Marti* bellorum Duci? *credebant victoriam in bello subditorũ potius adfectu, quam ab Armorum robore dependere.*

Vlysses. *Alciatus, pinxit Vlyssem consilio prudentissimum & Græcorum Diomedem fortissimum cum inscriptione* VNVS NIHIL, DVO PLVRIMVM POSSVNT. (In Emblem.)

Diomedes.

CAPVT IV.

De Orationibus Nuptialibus.

Orationes ad Nuptialia spectãtes.

POst firmata *Sponsalia*, vbi dies Nuptiarum aduenit, iterum Orationib. certatur: sed plerique *Salutatoriæ* sunt *Gratulatoriæ, gratiarum Actoriæ*; quæ propriè ad Nuptias spectant, hæc sunt: *Primo*, Est Oratio, qua nomine Spõsi petitur Spõsa ante vinculũ maritale à Parentibus vel Adfinibus Sponsæ. *Secundo*. Est Oratio, qua respõdentur nomine Sponsæ, Spõso. *Tertio*, Est Oratio, qua traditur post Copulationem a Parentibus vel Adfinibus Sponsa Spõso; & omne jus Paren-

rentum vel adfinium in Sponsum transfunditur. *Quarto*, Est Oratio, qua gratiæ aguntur pro Sponsa nomine Sponsi. *Quinto*. Sunt Orationes, quibus gratulantur Amici & hospites præsentes. De singulis distinctè, quomodo construendæ sint, quæramus.

QVAESTIO I.

Quomodo construitur Oratio, in qua nomine Sponsi petitur Sponsa ante copulationem?

Hæc puncta seruari solent: *Primo*: Discursus aliquis ponitur, siue de volūtate Dei disponêtis omnia, cui ne in minimis resistendum est: Siue de lætitia, qua perfunditur is, qui expectatum tempus desiderij explendi tandem aduenisse videt: Siue de Constantia adfectus ac Amoris, qui temporis mora, si verus est, intepescere non solet, sed incrementum sumere.

Petiturus sponsam ante Copulationē obseruet.

Secundo, Fit applicatio ad Sponsum, qui vel voluntati diuinæ, a qua ductus fuit in Domum Spōsæ, repugnare non vult; vel lætatur, tempus venisse, quo promisso expleatur: vel adfectum habere dicitur

tur æquè ſtabilem vt ante, erga Domum Sponſæ & ipſam Sponſam, *Tertio*: rogatur Parens vel Adfinis Sponſæ, vt promiſſam Spōſam, nunc, quia tempus venit, ei extradere velint, & hoc æternū amicitiæ vinculum inter vtraſque nobiles familias inchoare. *Quarto:* Offeruntur obſequia & gratiæ. *Breuiter* optime hæc oratio conſtruitur, ſi in illa reuocetur promiſſio facta matrimonij; Si proteſtatio fiat durantis animi & amoris; Si rogetur extraditio Sponſæ; ſi gratus animus offeratur.

PRAXIS.

Græcis dicitur Asbeſton Lapis.

1. *Praxis.* Fruſtra Secretarius Naturę *Plinius* tantis verborum phaleris *Aſbeſti* lapidis conſtantiam famæ & admirationi proponit, quod ſuccēſus igne ſemel, impoſterum nullo poſſit extingui Oceano. Pectus ille ſincero candens Amore vidiſſet, magis Amoris ingenium admiratus, majorem feciſſet commendationem.

Profectò *Adamante ſcribit, qui vere amat*, nulliſq; reuertendum machinis gerit propoſitum, amato

to potiri: Hoc donec fiat, omnis illis festinatio mora est; omnis expectatio, violentia: Imo pone gladios; funde maria; explica ignes & mille discrimina rerum; per omnia perget, audax amor in amplexum dilecti, citiusque volet emori, quam non peruenire. Recens & Domesticum ante oculos exemplum videre licet in D.N. Domũ ille Tuam N. amare cœpit, cum tua stirpe nobili amicitiam inire petijt: & quid ardentius, voluit hactenus quam coniungi? quid solicitius expectauit, quam eum diem, qui summam rerum ferret, coronaret fortunam, & desideria felici fine absolueret? Hic igitur cum faustus aduenerit & iucunda hospitum comitia id exigere in partem lætitiæ videantur: Dominus N. promissam sibi dilectam, velut eximium & dulce debitum a Te Domine N. repecit. In te solatia & gaudium, a Te tot amicorum vota pendent & desideria; annue verbo & diem lætitia impleuisti: Cæterum Dominum N. æternis tibi meritis perpetuo obæratum experieris.

PRA-

PRAXIS ALIA.

Supra vocem & Eloquentiã est lætitia, qua hodie Dominus N. perfunditur, cum ex hodiernę diei diu expectata præsentia, tũ ex tot Magnificor. Dominorũ Illustri hospitum Corona; qui ferias amicitiæ hodiernas & negotiũ Domini N. inter omnia maximum, præsentes exornare non recusarunt: Amico amplexu excipit omnes, & ęternũ sibi futura cordi hęc tanti mométi beneficia sãctissimè pollicetur. Sed vt cumuletur lętitia & culmen accipiat; Tu Author esse debes Domine N. A. Te Dominus N. a Te, Domini, N. N. Amici enixè orant, vt quam sibi dilectam & præ omnib. vnicam fata destinauerũt, virtutis & familiæ tuæ splendor suasit, nobile verbum & gratia tua promisit, ei nunc in æternam fidé & amorem porrigas: vt hic perennis Amicitiæ auspex dies insurgat auctior. Hoc vnanimi consen u volunt omnes, hoc perpetuum tibi deuota Domini N. iterum iterumque petunt desideria.

QVAE.

QVAESTIO II.

Quomodo construitur Oratio, in qua respondetur Sponso a Parentib. Sponsæ vel Adfinibus?

Primo fieri solet vel discursus breuis de voluntate Dei disponentis omnia; vel de constantia amoris veri; vel de lætitia, quę percipitur ex aduentu Sponsi, Amicorũq; eius, & ex præsentia diei nuptialis, quo Nobile Amicitiæ Vinculum vtriq; Familiæ debet imponi; vel ab æstimatione adfectus Spõsi, qui non satis habuit rogare semel, sed iterum iterumq; precatur. *Secundò* Annuitur petitioni & siquidem ita volentibus animis, Deoque disponente fit, omen sumitur futurę faustitatis. *Respõsoria quomodo cõstruenda ad præcad.*

PRAXIS.

Etiã nunc noster in Te calet adfectus, & magis succeditur ex tot Illustrium Hospitum Amicorũq; præsentia, & iteratis precib. tuis Domine N. Non sic leui momẽto fundatam habeo fidẽ, vt facilis inconstantia euerterit: non sic hoc Nobile Amicitię Vinculum, quod subire paramus, semel placuit, vt displi- *Praxis.*

displicere possit Quod maturis vtrimque consilijs ponderatum est, quod nobili verbo & promissis decretum, adhuc inuiolabili possidetur Ne verò tempus amplius gaudia differat, fiat feliciter! fiat bene precantibusSuperis quod sic amat fieri nobis volentibus! *Vox Populi, vox Dei est*: quod autem vocante Deo fit, anne prospero successu destitui potest? Hilares res præterea vestriHospites & effusi in vultus animi, ad omnem faustitatis spem, nō inutile mihi augurium porrigunt.

QVAEST. III.

Quomodo construitur Oratio, in qua post Vinculum Maritale traditur Sponsa Sponso a Parentibus vel Adfinibus?

Traditoriæ quomodo fabricandæ post Copul.

Primo, præmitti solet vel laus Coniugij; vel lætitia manifestatio de vinculo iniecto: vel discursus aliquis de Amicitia: vel quid simile. *Secundo*, Laudatur Spōsa à Maioribus, Parentibus, Nobilitate, Adfinitate & ab ijs virtutibus, quę illi propriè sunt: vt est Pietas, Verecundia, Honestas &c. *Tertio*, Explicatur adfectus Parentum, quo

quo in Sponſam feruntur, & quo eam tradunt. *Quarto*, Exponitur adfinium lætitia, & votum pro felicitate, uirtute, imitatione parentum. *Quinto*, Commendatur Sponſa Sponſo, vt ejus curam habeat, amorem & venerationem.

Aduerte verò, non ſéper neceſſe eſſe, omnia hęc prędicta puncta in Oratione exprimere, ſed quæ pro tempore & loco videbuntur, dices quæ ibi dem videbuntur, omittes. *Nota.*

PRAXIS.

I. *Praxis.* Breuiſſima quidem eſt illa *Epiſcopi VVienenſis Euſtachij VVollonicz*, ſed neruoſa ſatis & plurima continens; qui ex tempore juſſus à *Sigiſm. III. glorioſiſſimæ memoriæ*, tradere Sponſam ex Reginæ Gynæceo nomine *Leonoram* cuidam Magnati, ſic dixit:

Illuſt. Domine. Hæc eſt LEONORA, Tu illam in Conjugem accipe, ama & honora. Dixi.

PRAXIS SECVNDA.

Adhuc felicitatis plenitudinem, quam dies hodięrnus in ſinum ve.

veſtrum & animum inſudit, non ſatis explicuero, ſi nobilem Coniugij Copulationem inter omnia Societatis vincula & arctiſſimam & jucundiſſimam eſſe dixero, & quoddam humanæ felicitatis Corollarium. Altius eſt beneficium, quam ingenijs attingi poſſit. Latius & amplius, quam verbis ſuis Eloquentia circumſcribere. Nec latè fluens ſolum *Ciceronis* copia hic deficiat, nec ſtagnans *Iſocratis* ſuauitas; ſed centum ora & centum Linguæ, ſolemne Poetarum in cauſſis grauioribus votum ad enarrandum non ſuffecerint. In cæteris enim inueniendis aut mortalis neceſſitas, aut induſtria ſubtilior humana excogitando laborauit: Connubium, ipſius Potentis omnia, naturæ Authoris inuentum eſt, adhuc ab ipſis Mundi incunabilis, in illo voluptatis Viridario: Cui magnam beatitudinis partem deeſſe crediđiſſet, niſi primos inter homines hoc decumanum munus inſeruiſſet; quod cum tempore deinde ad nos hereditaria felicitate tranſiret. Parentis & Filij amorem, ſupremum na-

turæ

turæ vinculum & jus credimus? Ecce ſtrictius Sponſi charitatem & fœdera, quæ & Parentem a Filio deſeri, & Filium a Parente manumitti poſſunt, perſuaderem: Pythiam Damoni acceſſiſſe, Oreſtem Pyladi vberrimam gaudij materiem reputauimus, virtutiſque & fortunæ ſingulare priuilegium: Conjugio tot Amicos paraueris, quot vtriuſque familiæ homines in vnam ſanguinis lineam facis conuenire. Parum eſt thori Sociam, curæ vitæ, quæ Conſortem accipere; dulciſſima humanæ conuerſationis & grauiſſima nomina, *Imperium & Seruitus*, ea hic temperantia manſueſcunt, vt & dulcedo grauitatem minuat, & grauitas augeat dulcedinem: Sic alter in alterius jus concedit, ut ſuo nō abeat; ſic ſuus manet, vt totus ſit alterius vterque ſeruit; & quæ duo erant ac diuerſa, Sacra Metamorphoſi eadem ſunt & unum. Quid quod aliquem æternitatis imaginem æmuletur & perenni nepotum ſucceſſu, familiam ab obliuionis ruina ſuſtineat? aureæ non inconueniens Arbori, in qua

Ramo

Ramo avulso uno, non deficit alter
Aureus & simili frondescit virga metalllo. (Virgilius.)

Hinc felicitatis acervum nobis hodie cœlitus obvenisse Nobil.N. cum cæterorum plausu Amicorum gratulor. Tibi vero imprimis Domine N. qui hanc N. Virginem in perenne vitæ consortium & eligere voluisti & copulare; cujus ego vitam cum inspicio, ita omnium honestarum actionum societate contextam invenio, ut sub nobilibus figuris Natalitia Claritas velut aurea tela lateat, emineatque decentius, si Paternum Maternumque Genus; tot vtriusque ordinis Heroes, vno impetu obrutum incurrunt; vt me quos proferam, quosue sileam, in ambiguo sistant, sed quis in Sole nisi noctua cœcutiat? quis nobilissimam stirpem nisi hospes in Patria ignoret? Adhuc fama non consenuit, nec senescet vnquam, Sed immortalis gloriæ *Phœnicem* in memoria posteritatis faciet æternum iuuenescere. Quis Nob. *Añũ* &c. N. quis *Parentem* Virginis, quis *Fratres* nescit? &c. Adhuc subsellia Senatorum ornant &c. vt

me

me tempus citius deficiat, quam singula virtutum magis quam vi- orum nomina possim enumera- re. Ipsa Virgo Nob. quos hactenus vitæ annos exegit, cum probitate egit, vt in summam de se semper Parentum Amicorumque animos spem erexerit, & mitiorem hone- sti familiam, qua se hic sexus solet exornare abunde collegerit; hanc itaque tantorum Heroum Here- dem, tanti sanguinis Neptem, & tantarum virtutum *Spōsam* cum hodie ad intimam cordis familia- ritatem admiseris, Parentum & Amicorum nomine, atque adeo animis omnium illustrissimorum. Hospitum iterum & rursus gratu- lari debeo. Nam vt foueas perenni amore, vt honores sociam, nec monere me sinit tua Nobilitas, nec orare pietas. Vltra spem & preces dignaberis illam, quam tanto de- siderij molimine, tanti affectus promulgatione quæsiuisti, elegisti. Adsint modo *Superi* & quam inchoauimus Amicitiam in feli- cem faciant sobolescere posterita- tem.

QVAE.

QVAEST. IV.

Quomodo construitur Oratio, in qua respondetur nomine Sponsi ad traditoriam Sponsæ:

Respõsoriæ ad præced.

Primo, præmitti solet vel laus Coniugii vel Amicitiæ; vel solet explicari lætitia ex inito Conjugio orta: vel aliquis alius discursus fieri ex *consuetudine Gentium*, vel ab aliqua *Antiquitate*. *Secundo*, Laudatur Sponsus a familia & virtutibus. *Tertio*, Explicatur animus Sponsi de tali Socia, agũturq; gratiæ pro illa sibi tradita. *Quarto*, promittitur adfectus, debitusque cum amore honos Sponsæ. *Quinto*, Vota fiunt & apprecationes.

PRAXIS.

Praxis.

Amico diu quæsito, diu desiderato potiri, hæc demum lætitia est, quæ nullis Eloquentiæ cancellis possit definiri. N. Clamat hilaris *Celeusma suũ Nauta*, vbi procellis superior tempestates trãsijt, & incolumis portum ingreditur: canit *Pæana miles*, quãdo hoste subacto victoriam adipiscitur: *Cursor in Olympijs*, vbi cõsecutus Coronã est,

plan-

plausus hominum & Triumphos præstolatur: Sed potiori jure Amicus, postquam Amico frui conceditur; nec *Celeusmate*, nec *Pæane*, nec *Triumpho*, aut si quid Orbis amplius excogitat, lætitiam suam potest euoluere. Quippe Amici pectoris & portus & uictoria, & triumphus & corona alter Amicus est. Blandiatur sibi, ut moris habet, de sui æui gloria Antiquitas; fingat, scribat, dicat duos sibi eiusmodi prærogatiuè Amicos fuisse, *quorum vterq; a se abire & alter in alterum Vulcano artifice recudi voluerit, atq; vnus homo fieri: Ferias etiam amoris Solemnes instituat; quibus Amicis conuenire Sanctum fuerit atq; in reciprocum æterni adfectus debitam conjurare.* Habuisse hoc, sicut alia pleraq; comminisci antiqui poterant & imaginaria felicitate lætari: Nos sacro Conjugij fœdere & videre fieri possumus & possidere gratulamur. Nōne enim hæc pulchra Metamorphosis & vnio? quando nō Sponsi dumtaxat Cor & animum, in Cor & Animū Sponsæ transire intuemur, sed nobiliss. preterea stirpes venusta confusione cōmiserit; vt amplius Rei.

lumen crescat & ornamentum.
Hæc ego cum dico Te non pos-
sum non laudare N. cuju s arbitrio
& gratia hoc nobilissimum pa-
conjugium conuenire potuit: qui
omni ornatam Choragio uirtu-
tum filiam tuam Domino N. ple-
no jure in æternam amicitiam
concessisti. Non errasti certè in
amico deligendo: Nam siue
stirpem Domini N spectare velis
eam utique esse nosti, quam
merito jure *Equo Trojano* confer-
re possis, *ex quo tot Heroes, quo*
homines prodiderunt, in Orbis &
Patriæ defensionem. Fuerunt
in hac illustri Domo qui uictrice
Aquilas in hostium castris planta-
uerunt, fuerunt, qui consilijs, fue-
runt qui Manu fulserunt, qui san-
guinem & vitam, vbi occasio vo-
lebat & necessitas, in patriæ salu-
tem profuderunt; longe ab eorum
consuetudine diuersi, *qui immens*
poculorum certaminibus, & qua
bello nihil præter vinum pro Rei
salute effundunt. (*Hic laudetur s*
sius familia) Majorum suorum
vestigijs insigniter inhæsit Dom-
nus N. & cum teneriores anno
in Scholis ad virtutem & probita-
tem

tem exegit, tum reliquos in cæteris exercitijs, in exteris Nationibus in Castris, in Militia, in aula Seren.probauit: & post hæc, cum laboribus suis portum quæreret & familiæ suæ solatium, hoc non alibi quam in domo tua N. inuenisse lætatur. Gratias habet immortales pro adfectu, & hanc nobilem filiam, quam in consortem ei dedisti, non cordi sibi futuram, sed Cor & Animum suum, sanctissimè pollicetur. Tibi interim obsequia sua æternum deuouet: hoc uno solicitus, ne ingratus moriatur.

QVAEST. V.

Quomodo construuntur Orationes, in quibus hospites & Amici præsentes gratulantur Sponsis?

Primo; poni solet vel significatio lætitiæ exundantis in omnes, vel discurritur breuiter de felicitate ejus, qui ęternum & fidelem Amicum inuenit: uel laus connubii ponitur. *Secundo:* fit Gratulatio Spōsis super pręsenti felicitate. *Tertio,* Omen sumitur de futura faustitate. *Gratulatoria.*

Quarto; Laudãtur Coniuges, à Familia & virtutibus. *Quinto*; Vota fiunt & apprecationes. *Exemplum* habes huiusmodi Orationis, supra C. 2. sub sexto modo, Exemplo 1.

CAPVT V.

De Orationibus Epithalamicis.

Epithalamicæ Orationes illę dicuntur, quæ haberi solent ad thalamum, quando Sponsa Spõso iterum traditur. Vix in aliquo differunt hæ Orationes a superioribus Nuptialibus, nisi tantùm tempore. Claritatis tamen gratia etiam de illis distinctè dicamus.

Duæ sunt præcipuè; *Vna* nomine Parentum & cõsanguineorum, in qua traditur Spõsa Sponso, & plenum ius transfunditur in Spõsum. *Altera* est nomine Sponsi, in qua gratiæ aguntur pro Sponsa.

QVAEST. I.

Quomodo construitur Oratio, in quo nomine Parentum vel Consanguineorum traditur ad Thalamum Sponsa Sponso pleno iure?

Fere

Ferè eadem puncta ſeruari debent, quæ ſeruari dixi in Oratione Nuptiali traditoriæ Sponſæ: Nam *Primo*, poni ſolet vel laus nuptiarum; vel diſcurſus aliquis de Amore aut amicitia; aut de fortuna eius, qui fidelem & inſignem inuenit Amicum: vel explicatur lætitia communis de inito Matrimonio inter hos coniuges. *Secundo*, Laudatur Sponſa a Familia & dotibus. *Tertio*, commendatur Sponſa Sponſo, & traditur ei in illam plenum ius. *Quarto*, fit cohortatio ad mutuum Amorem & concordiam. *Quinto*, Apprecatio felicitatis & benedictio impertitur. *Epithalamica.*

PRAXIS.

Praxis.

Ea eſt creatarum rerum ambitio, vt nulla non Societatem deſideret: N. Domine. Forum vniuerſi Aerem ſi aſpicimus, cōcolores Aues pariter volare videbimus: ſi in Syluas & Nemora deſcēdat cogitatio, CERVOS gregatim currere, & quodcunq; Animal cū humanitate cōmunicat, ſimiliū contubernia veſtigare & ſequi animaduer-

temus: Et viuentia quidem conuiuere non vtcunque admirationem superat: illud stupore magis, quam verbis dignum, quod *Ioannes Bustamantius* inter *Adamantes duos* se vidisse historica fide confidetur: *Duos*, inquit, *Adamantes hæreditarium vnius familiæ pretium vidimus, naturali connubio ita sociatos, vt marem alter, alter fœminam retulerit: hos si loco componeres vno videbas perenni amplexu & osculo secum hærere, si separares spacijs & situs, radijs tamen & quodam promicante fulgore se mutuo intuitu irrorabant donec fœcunditate mirabili tentiuse duobus Adamas singulos innanos nasceretur*. Quod si muta mutuus tangit Amor, quidni homo animal ad societatem natum? vt sollicitus inueniat, cui cor amicitiæ obliget vinculo, desiderijs orbem inambulet? Vtcunque enim bonis animum vitamque impleuerit; si amico tamen careat, nullius boni iucundam possessionem habebit. Non quiescit, *Magnes*, nisi *Cynosuram*, habeat; nec Homo, si non Amicum. *Absque igne & aqua*

Adamantes duo.

Magnes.

aqua viuere homini non est possibile: potiorem tamen igne & aqua magisque necessarium Amicum esse censuit cum cæteris *Plutarchus*: Vnde venustè Latini *Amicitiam à necessitate Necessitudinem* voluerunt nominare. Sed quid multa? Tu N. impetu naturæ & imperio persuasus, amicum Tibi & socium prudenti diligentia quæsiuisti oppositum inuenisti, inuentum ecce à perpetua manu accipis. Accipe, & posside, quam per me seruum & Amicum tuum Tibi tradit N. Dominus filiam: accipe Nobilem Nobilium Heroum sanguinem, Familiæ Gemmam, Parentis Spem, Matris solatium, & *Animæ dimidium*. Accipe simul cum ea verecundiam virgineam, & fere dixerim Angelicam: Accipe humilis animi pietatem, deuotionem ad tuos nutus, & obsequia promptitudinem & cæteratum virtutum gynæceum, accipe ius, & potestatem, quam Pater cum amore pariter omnem tibi cedit in filiam suam. Quod si & stirpis claritatem desideras, eum Te sanguinem accipere cogita, qui li-

 be.

beralissimè in amorem Patriæ fusus, eos nutriuit Heroes, qui & Sago & Toga celebres, apud famam viuunt, viuentque in memoria posterorum; donec Orbis rectè gesta sciuerit reuereri. Veniat in mētem Dominus N. Patruus; veniat Auus &c. Nunc igitur amicum perennem, hoc ornamentum Domus Illustrissimæ, vt amico pectore & suscipias & foueas, & Parentes Magnif. per me orāt, & precamur Amici. Nec tua sponte inclinata voluntas multis eget precibus inflecti: Nulla *Erynnis* infelix concordiam vestram temeret: Aut *Alecto* tumultuum obstetrix domi vestræ resideat; sed Amor, sed faciles *Gratiæ*, sed honor, sed fortuna & omnis felicitas comitentur, assideant: nec hospitentur, sed habitent. Hoc bene precati vouent N. Parentes: hoc nos Amici & Adfines vnanimi desiderio precamur.

Este pares & ob hoc concordes viuite, nam vos
Et decor & Virtus & Amor sociauit & ætas?

QVAE.

QVÆSTIO II.

Quomodo construitur Oratio, in qua gratiæ agũtur ad thalamum, pro Sponsa sibi tradita, ab amicis Spõsi? *Responsoria ad præced.*

Primo: Solet præmitti vel Matrimonij laus vel discursus de beneficij obligatione; vel de Amicitia aut amore, vel etiam letitia explicatur, quæ omnibus inest ex felici Nuptialis diei successu. *Secundo*, Breuiter laudatur Sponsus à maioribus & virtutibus. *Tertio*, Acceptatur Sponsa, & pro ea gratiæ aguntur. *Quarto*, Promittitur omnis Amor & honor Sponsæ. *Quinto*, Vota fiunt & apprecatio. nes ad omne obsequium oblationes. Solent interdum aliqui hic subijcere Gratiarum Actionem ad Parentes Sponsæ, pro bona educatione Sponsæ Sponso, e enutritæ: & mentionem simul facere hospitum maximè præcipuorum, quibus gratiæ dantur, quod adfuerint.

PRAXIS. *Praxis.*

Odium perenne apud veritatẽ meruerunt, tãquam sacrilegio infames, *quicunq;* Amorem *& pue-* *Amor cæcus & puer.*

rum esse & cæcum ausi sunt commi-nisci. An enim Amor immaturus semper & semper fragilis est, cuius fortitudini nullum robur par potest Orbis inuenire. An semper stupidus & incogitans consilij? vt quem hodie in animum & pectus admisit, eum cras mutato suffragio non de memoria solum, sed oculis etiam exturbet. Leuiorem isti pluma gratiam putauerunt, & in omni pectoris desiderio nescio quid puerile decreuerunt, inueniri; ipsi pueris magis pueriles, quibus maturo mentis obtutu nondum licuit adultum agnoscere Amorem. Vel cum nomen improbitati dederunt quod ipsi non sunt; alios non esse arbitrantur. Suis moribus metiuntur cæteros, & aspicere solent nullum, nisi suæ de se opinionis vitro oculos inumbrent. *Argum* ergo potius Amorem dixero & supra Heroes inuictissimum qui plena timoris sollicitudine inspicit omnia, attendit omnia, vitamque prius destituere, quam amatum obstinato conatu laborat. Et verò prophanus Amor, si fortè leui receptus fomite, vbi

vbi aliquantum arsit illustrior, non difficulter extinguitur. Hic certè connubij, quem natura & naturæ Author conseruauerunt, flammæ cœlestis æmulus est: lucet & ardet semper, si in fidelia cecidit pectora, tenebrasque & fumum ignorat: Hoc prudenti Amore succensus animus N. nobilis Prosapiæ & Maiorum imaginibus clarissimus, socium vitæ & consortem quæsiuit; hoc, inuenit; hoc, è benigna & paterna manu tua Domine N. hodie accipit hoc, habebit: hoc, possidebit, donec vita superauerit. Lætari quidem ille potest, de Maiorum suorum non vulgari luce; atque vt lucernam in sole non præferam, quot suæ familiæ viri tot patriæ ornamenta sunt, à quorum gloria, & dotibus ne latum vnguem abiuit: sed nobilissimam hanc domus suæ lucem, cùm nobiliss. stirpis tuæ radijs commisceri, tot Heroes Maiorum suorum tecum & cum Heroibus Maiorum tuorum in rectè gestorum communionem concedere, hoc gaudiorum igneus diluuium est, cui omnium nostrum animi atque

pectora non innatare debent, sed mergi. Aderunt Boni superi sine dubio, & quod hodie felici initio incipimus, hoc felix successus non sine fama & posteritatis commendatione, perficiet. Magnif. vero Dominus hanc Nobilem filiam tuam, Domine N. non in cordis dumtaxat & anima sociam, sed, si dulce Mariti nomen patitur, in Dominicam seruus ad honorem & cultum paratissimus admittit: Et hanc à Te sibi hactenus enutritam, optimisque & sanctissimis moribus imbutam fuisse, & gratulari debet & gratias reponit immortales. Tunc ad voti culmen se venisse arbitrabitur, si grande, quod subit debitum sua obsequiorum gratitudine, non dico adæquare laborabit, sed æstimare in æternum ostenderit. Vobis etiam, Perillustres &c. Domini hospites, qui vestra nobili præsentia, hoc perennis amicitiæ sacramentum condecorare voluistis, siquidem verba non suppetunt, quibus gratiæ possint referri, animum suum Dominus N. cum vtriusque familiæ obsequijs, voluntati illustrium Dominorum N. N. &

nutui deuotum æterna dedicat subiectione. Dixi.

APPENDIX.

Obserua primo; posse interdum fieri, vt solitaria Oratio dicatur nomine Sponsæ, in qua gratiæ aguntur parentibus pro honesta educatione: quæ Oratio quomodo construenda sit, & facile patet cuiuis, & siquidem Gratiarum Actoria est, inferiùs docebimus.

Obserua secundo, Interdum contingere, aut alter coniugium conditione inferior sit altero, nec adeo claru, vt cum dignitate ex familia & maioribus laudari possit; tunc ergò prudens Orator, vel communem locum de nobilitate tractet; vel in vtraque Oratione tam traditoria quam responsoria nobiliorem Coniugem laudet, non instituendo comparationem familiarum, sed potius dicat, æstimandum beneficium esse, quod talis ac tantus eam personam ambiuerit. Laudet ergò prolixius eius virtutes & dotes, cuius Natalem fortunam laudare nō poterit.

SEN,

SENTENTIÆ

his Materijs seruientes.

Domus, & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino autem prudens Vxor.

Mulier digna corona est viro suo. (Prou.)

Mulieris bona beatus vir, nam numerus duplicatur dierum ipsius. (Eccl.9.)

Gratia super gratiam mulier sancta, & pudica (Eccl. 16.)

Coniugio ornatus, speciosa vinctus es catena, vnde Te sola mors liberet. (Petrar.)

Ne maneat sine Nuptijs, ne sine nomine pereas. (Phocyl.)

Amor coniugalis naturam nostram pessum euntem generando resuscitat. (Plutar.)

Amicus Animæ custos est. (Gregor.)

Amicitias est vna anima, duo corpora ferens. (Idem.)

Inimicitiæ terminos cognosce, Amicitiæ nullos (Idem.)

Quot Amicos paraueris tot oculos habebis, quibus, quæ velis, videas,

tot aures quibus, quæ decet, audias: tot consilia, quibus de ijs, quæ conducunt, consultare possis (Chrys.)

Nihil æque ægrum reficit, sicut Amicorum adfectus; non iudico me mori, cum illos superstites relinquo; puto me victurum non cum illis, sed per illos. (Seneca.)

Non exercitus neque thesauris præsidia regni sunt: sed Amici. (Salust.)

Nulla est pretiosior possessio bono veroque amico, nec aliunde plus fructus ac voluptatis capitur. (Seneca.)

Amicis non debent esse, vt supputatorij calculi, qui interdum valent multa millia, interdum nummum, interdum nihil. (Solon.)

Tota domus duo sunt ijdem parentque subentque. (Ouid.)

Tristitia omnia vince, aut animo aut amico. (Anonym.)

Satis magnum Regnum est Marito Vxor, & liberi. (Eurip.)

Optima sunt diuitiæ generosam inuenisse Coniugem. (Menander.)

Virtutis penum est generosa mulier. (Alexander.)

Sine

Sine thalamum vita hominis non est, sed ferarum. (Quint.)

Genus humanum speciale est, ipsius, autem societatis principium est coniugium. (Athenęus.)

Coniunx aut perenne refugium, aut perenne tormentum (Fulgensius.)

Bonum maritum agere, quam in Republic. magnum virum esse, plures veteres amplius censuerunt (Alex.)

Coniugium genus hominum immortale reddit (Plato.)

Inter coniuges pullulent quotidie timor, gratia, amor mutuus atque fides. (Plutar.)

Vxor existimet mariti mores esse legem vitæ suæ impositam, quam sequatur. (Aristot.)

Quod honestius leuamen quam assumere coniugem prosperis dubijsque sociam. (Tacit.)

Tanto Vxor est honoratior, quanto amplius viram honorat. (Hieron.)

Concordia fulciuntur opes.

EXEM.

EXEMPLA ET ALIA.

Supellex.

Themistocles dicere solebat eligẽdum potius esse virum sine pecunia, quam pecuniam sine viro, (Stobæu.) allusit ad *Diogenis* dictum, qui viso diuite indocto, *en*, inquiebat, *Ouis aurea.* Ouis propter stultitiam, Aurea propter diuitias. *Democritus dicebat, eum qui bonum generum nactus esset, inuenisse filium: cum autem qui malum, perdidisse, & filiam* (Idem.) *Themist.* *Democritus.*

Olympius, dicebat, quidam nec auribus nec oculis, sed digitis vxorem ducunt, solam spectantes dotem. (Eras.l.5) *Olympius.*

Socrates, consultus a quopiam Adolescente, *an Vxor ducenda esset?* dixit, *Pisces, qui nondum intra nassam sunt, volunt intrare, qui autẽ iam intus sunt, volunt exire: sic tu vide ne idem tibi contingat.* (Anton.par.2.) *Socrat.*

Epaminondas reprehensus à Pelopida, quod cælebs viueret; non curas tu, inquit, rempublicã Epaminonda, qui nullos post Te filios relinquis, quorum manu salus Patriæ defendi possit (Brisson.) *Epaminõdas.*

Socrates dicere solebat, normam *Socrat.*

Con-

Coniugis virum esse. (Anton.)

Vxor Phocio-nis. *Phocionis Vxor* interrogata, quare auro & muliebri splendore non vteretur: *Satis*, inquit, *Vxoris magnus ornatus est, viri sui virtus*. (idem.)

Vel vt alibi dixisse fertur: *Meus ornatus non est talis, sed Phocionmè ornat, iam vicies Atheniensium Imperator*. (Sabell.)

Coniugij Symbo-lum. *Lucerna ardens apud Onocritas Symbolum Coniugij fuit*. Quia amore Coniugium ardere, fama lucere, calamitatum tenebras pellere & solari mutuo conuictu debet.

Artemi-sia. *Artemisia Cariæ Regina, Mausolum virum suum defunctum eo honore, & amore, prosecuta est, vt mortuum intra se sepeliuerit. Nam cineres defuncti, vino immiscens paulatim ebibit. Deinde sepulchrum ei* Mausoleus *dictum & inter Orbis septem miracula connumeratum construxit; ad funus quoquè ex tota Græcia Principes Oratorum conuocauit*. (Valerius Maximus. l.4.)

Democ. filia. *Democio: Areopagitæ filia*, mortuo Sponso negauit se alteri nupturam, dicens: *alijs quidem mor-*

mortuum esse, sibi tamen adhuc virum viuere. (Hier. ad Iouianum.)

Prothesilao sub Troia occiso, Vxor eius Laodemia in solatium mœroris orabat, vt saltem vmbram mortui viri videre possit: Quod cum impetrauit, præ gaudio in amplexu vmbræ expirauit. (Propert.) *Prothesilai Vxor.*

Philippides dicebat, bini, cum vxore sunt iucundissimi dies, vnus quo ducitur, alter quo mortua effertur. (Fiorill. mag. sub titul. Nupt.) *Philippides.*

Antiphanes aiebat, infortunium extremum Nuptias esse. (Ibidem.) *Antiphanes.*

Diogenes dicebat, Amorem esse otiosorum negotium, eo quod plerumque adfectus otio deditos inuadat. (Laertius. l.6.) *Diogenes.*

Cato maior aiebat, amantis animum in alieno corpore viuere & animam illic potius esse, vbi amat, quam vbi animat (Plutarch. in eius vita.) *Cato Maior.*

Quemadmodum radius à Sole, calor ab igne, frigus a glacie, candor à niue nequeunt separari: ita ab Amore diuelli non possunt benevolentia, societas necessitudo, *Amoris adiuncta.*

do, *concordia.* (Philip. Beroaldus)

Amor Deus mũditians. Apud *Plautum* senex *Amorem* appellat *Deum munditiantem*, seu *omnis elegantiæ & munditiarum patrem*, *eumque nitoribus nitidissimis antecellere*. (Plautus.)

Amor ludibũdus. *Qui Amorum agmina depingere solent, pingitant eos plerunque malis colludere & inter arbores poma decerpere, abrodere, iactare &c.* (Pierius l. 4.)

Martia Catonis filia. *Martia Catonis filia quæsita, quare post mortem Mariti cum alio copulari nollet, respondit: Quia non facile virum inuenio, qui me magis velit quam mea.* (Erasm. l. 8. Apoph.)

Portia. *Portia* cum diutius defunctum virum, lugeret, rogata; *quem esset diem vltimum habitura luctus*, respond. *eum quem & vita.* (Idem.)

Cato. *Cato dicebat, si sine Vxorib. mundus esse posset, vita nostra non esset sine Dijs.* (Idem.)

Idem dicebat, cum vxoribus incommode viuitur, sed sine illis non viuitur omninò: Vnde Vxor quid est, nisi necessarium malum.

(Era.

(Erasm.) *Alphonsus dicere solebat, tunc matrimonium tranquille & citra quærimonias posse exigi, si Maritus surdus fiat, Vxor cæca*, hoc est, si garullitatem patiatur Vxoris Maritus, & Vxor non laboret suspicionibus malis de Marito. *Alphonsus.*

Antisthenes aiebat, Vxorem ducere debetur hoc naturæ, & Patriæ. Nam rem propius intuenti, (inquit Plutarchus) *non ita magnum discrimen est inter eum, qui ciuem occidit & qui ciuem Reipubl. cum dare possit recusat.* (Diog. Laert. l. 6. c. 1. in Laconich.) *Antisthenes.*

Democritus interrogatus, cur pusillam Vxorem duxisset, respondit: *Ego ex omnibus malis minimum elegi*. (Anton. serm. de Mulier. for.) *Democritus.*

Periclitantibus quibusdam in mari ac iam prope naufragium subeuntibus cum nauta dixisset, vt eiectis oneribus leuarent Nauim: alii Merces eijeciebant & quæ habebant onera: vnus arreptam Vxorem in mare proiecit, eam sibi grauissimum onus esse dicendo. (Facetiæ Polon.) *Vxor cuidã onus graue*

Aristippus mulierem paruam sed pul- *Aristippus.*

pulchram conspicatus: Paruum quidem pulchrum, inquit, *magnum autem malum.* (Ant.serm. de mulier. fort.)

Protagh. *Prothagoras* quęsitus cur inimico filiam suam nuptam dedisset? *quia* inquit, *nihil illi dare poteram deterius*. (Idem serm. de mul. in per.)

Mulier mala. Philosophus quispiam interrogatus, quid esset *mulier mal*? respondit, *viri naufragium*, *domus tempestas*, *quietis impedimentum*, *vitæ captiuitas*, *quotidianum damnum*, *voluntaria pugna*, *sumptuosum bellum*, *bellua conuiua*, *sollitudo confidens*, *Leæna complectens*, *exornata Scilla*: *animal malitiosum*, *malum necessarium*. (Maximus.ser.9.)

CAVSÆ NVBENDI

Ex Antiquitate.

Caussæ nubendi Antiq. *Mor Carma.* *Apud Carmanos nemo Vxorem ducebat, nisi qui hostis caput prius ad Regem detulisset.* (Alexand.ab Alex.)

Indorum. *Apud Indos ille in præmium accipiebat coniugem, qui in pugnis & lucta præualuisset.* (Arrianus l.8 de reb.g. Alex.M.)

Nemo

Nemo inibat connubium nisi qui hostem confecisset apud Amazones, Herotodus lib. 4.) *idem Stobeus, alior. de Sauromatis*: & Mela lib. 1. *de populis circa Meotim adfirmat*. *Amazonum, &*

Apud Persicam gentem mulier equitandi perita ius habebat nubendi, sic enim ait Historicus: *quæ optime iudicatur quadrigas ducere, cuicunque non vult nubit.* (Strabo lib. 1.) *Persarũ.*

ORNATVS NVBENTIVM.

Apud Antiquos.

Nubentium ornatus.

Apud Romanos induebat Sponsa Rectam Tunicam & togam puram; Erat autem *toga pura*, vestis, quam nullus purpureus limbus prætexebat: neque adscitus alter color candorem eius vllo modo vitiabat: vnde *Candidus Vmbo* vocatur apud *Persium Tunica* autem recta fuit purpurea & picta: Inde forte, & moderna consuetudo apud plerosque inoleuit, vt vestes albæ sumantur ab ijs, qui Matrimonij fœdus sunt inituri. *Apud Romanos.*

Tanaquil omnium prima (teste Plinio) rectam tunicam fecit, quam simul cum toga pura tyrones induebant nouæque nuptæ. (lib. 5. natur. histo- *Tanaquil tunicæ rectæ inventrix.*

historiæ cap. 48. Erat vero hæc vestis miri candoris, subtilitatis & odoris, & fortunæ consecrata. Vnde & *vestis fortunæ* dicta fuit. Non cuiuis vero concedebatur, sed ei tantùm qui virtutibus & probitate famam meruerat, eaque uti tantum quadrante horæ licitum fuit: *Seruio* tamen *Tullio, qui natus radios circa caput & flammam habuisse sine damnu, visus est*, concessum fuit, integro die ea veste vti. (Dion. l.4.) Addit *Varro*, hanc vestem ad *Seiani* tempora durauisse & ideo dictam fuisse *Vestem immortalitatis*.

Seruius Tull.

Vestis immortalitatis.

Apud Hebræos quamdiu Sponsæ statum Virginalem profitebantur, tunicis albis vtebantur: quibus in introductione solemni iniiciebant floribus pictam vestem: Hinc apud *Philonem* filiam cuiusdam à spe coniugii lapsa inducitur sic loquens; *& albam, quam neuit Mater mea, tinea comedet eam.*

Apud Hebreos.

Diuus *Hieronymus* in illa verba: (Psalm. 45.) *In fimbris aureis circum amicta varietatibus*, dicit *vestem Sponsarũ apud Hebreos scutulatam*

Hierony. de Hebræorum veste Clypeata.

latam fuisse, dictamque vestem clypeatam; eo quod Clypei acu picti in ea fuerint, & in clypeis singulis singul. Maiorum imagines. Hinc Sponsa Maioribus suis induta ad Sponsum ducebatur.

Ex verbena & floribus nectebat olim Sponsa corollam, eamque sub amiculo ad virum deferebat, & hæ corollæ, quando ex varijs floribus erant nexæ, appellabantur Pancarpiæ (Fest. Pompeius lib. 3.) *Corolla.*

In Bœotia Sponsam Asparagine coronant: vt ait Plutarchus: (de connubio.) *Fit autem id ad significandam vrbanam iucundamque vitæ societatem*. Nam *Asparagus*, vt dicitur, fundit suauem fructum ex spina asperrima. *In Bœotia.*

Apud Lusitanos ex Solis rosis debebant esse serta sponsalitia (Strabo l. 3.) *Lusitani.*

Apud Græcos caput Sponsæ hasta gladiatoris comebatur, & crines discriminabantur: sed hasta hæc nullum debuit caput mortui tetigisse. Eius rei *Plutarchus* (In quæstione Roman. numero 87.) dat triplicem caussam, *Græci hasta caput comeb. Sponsæ.*

M *Pri-*

Prima, Vt monerentur nuptæ quod bellicosis viris jungerentur ideo ipsas debere a luxu & mollitie alienas simplici ornatu vti. *Secunda*, Vt innueretur hoc solo ferro Conjugium discissum iri. *Tertia*, quia oleraque ad Nuptias pertinentia ad *Iunonem* referuntur: *Iunoni autem sacra habetur hasta & plerumque ejus statuæ hastis nitebantur*. *Quartam* dat *Alexander ab Alexandro*: (In Genial.die.) *Opinari*, inquit, *licet, quasi fortes ea de causa viros genituram se ominetur*. *Quinta*, ut hoc signo subditam se sponsi disciplinæ fateretur.

Flāmeū. *Flammeo etiam caput tegebant dependebat autem ita, vt vultum tegeret*: (Ouid.l.4. Fastor.) *Erat autem lutei coloris*, *Causa a Festo l.1.cap.6. datur*: *Flammeo*, inquit, *amicitur nubens boni omini causa: quod assiduè eo vteretur Flaminis vxor, cui non licebat divortium facere*. Idem mos fuit apud *Spartanos & alias Nationes*, ut prodeuntes foras puellæ vel totam faciem vel dimidiam velarent.

Cingulo cingebatur Romana Spō-

sa,

sa, ex ouis lana contexto, quod Herculano nodo cinctum erat. (Fest. 3) Inde *Iunoni* natum nomen vt *Cincta* diceretur. *Romani.*

Athenis in vsu erat, vt Sponsi caput Caricis & palmarum fructib. inspergeretur. Idem fiebat seruis nouitijs, qui primo domum Dominorum ingrediebantur. (Alex. ab Alex. lib. 2 c. 5.) *Athenæ.*

Ornabantur Sponsæ monili; & tunc execrabatur monile filiæ Martis quod fingebatur adeo infaustum esse gestantibus, vt vel discordiam Coniugum, vel aliquem interritum insolitum portenderet (Natalis Comes) *Monile.*

Sponsi & Sponsæ solebant coronari ferè apud omnes Gentes: Sic enim *Tertullianus,* (de coron. mil. c. 13.) inquit: *coronant & Nuptiæ Sponsos.* Hic mos manauit ab *Adam,* qui *Euam* gramine viridissimo dicitur coronasse, quando eam Deus ad se adduxit (Moys. Bercepha Syrus lib de Parad. cap. 28.) Coronæ istæ erant prius è florib. textæ, postea etiam aureæ. Et inde natum, vt *Sponsæ, Reginæ, Sponsi Reges* vocarentur Et in Sacris literis vox Hebræa, quæ est *Coronãtur Spõs.* *Adã primus coronauit Euam gramine.*

dicitur etiam *Regina*. Benè ergò dixit: *Chrysostomus*, *Cuilibet viri Regnum eius est Coniux*.

Apud Coos & *Spartan.* *Apud Coos Sponsus Sponsalia initurus muliebri veste induitur.* (Plutar. in Lycurg.)

Apud Spartanos verò, Sponsa capite raso in indumento virili ad Sponsum deducitur.

Anglorũ mos. *In Anglia Sponsa corona spinea redimitur, aut manu illam gerere debet.* (Pol. Virgil. l. 1. c. 4. de rer. Inuent.)

MODVS NVBENDI.

Nubendi modus apud Roman. *Apud Romanos ignem, & Aquã in limine appositam ambo tangere iubebantur, qua etiam noua nupta aspergebatur, quasi eo fœdere æterno nexu essent copulati.* (Varro lib. 4. de ling. lat.) Caussam dat *Festus Pompeius*, *l. 1. Aqua & igni interdici solet*, inquit, *damnatis*: *contra accipiunt nuptæ, videlicet, quia hæ duæ res humanam vitam maximè continent*. Clarius *Plutarchus*, (in quæst. Rom.) *Ignis*, inquit, *lustrat; aqua purgat, debet autem, quæ nubit, puritatem & castimoniam seruare*.

Ignem & aquam tangebãt noue nuptæ.

Ale.

Alexander Magnus more patrio panem diuisum gladio cum Sponsa libauit (Curt. 18.) Hoc enim erat apud Macedones Sanctissimi Matrimonij signum. *Apud Maced.*

Apud Galatas inituri connubium ex eodem poculo bibebant. (Plutarc. lib.8.) *Apud Galatas.*

Romulus in communicatione panis & aqua dicitur iniuisse Matrimonium. (Dionysius Halic. liber 2.) *Romulus.*

Apud Latinos Sponsus & Sponsa amicti Vitta purpurea, candido colore distincta aut veste versicolore, iugum subibant, vnde *Iuno Iugalis* dicta est: *Virgilius*, (lib.4. Aeneid.) *Iunoni ante omnes cui vincla iugalia curæ.* *Latini.* *Iuno. Iugalis.*

Persæ & Medi inibant Matrimonium dextris datis. (Arrianus lib.3.) *Persæ & Medi.*

Apud Gallos signum electi mariti erat aquam manibus dedisse. (Iustin. lib.4.) *Galli.*

Apud Massilienses, cui Sponsa phialam impletam porrexisset, ei nubebat. (Athenæus. lib. 4. capit. 12.) *Massil.*

Apud Gothos quando Sacerdos benedictũ annulum porrigit, adstan- *Gothi.*

tes impingunt colaphos Sponsi. (Olaus c. 14.)

Angli. *Apud Anglos Sponsa à Sacerdote benedicta incipit in templo bibere, Sponso & reliquis idem facientibus.* (Pol Virgil. l. 1. c. 4.)

Megarenses. *Megarenses Sponsum cum Sponsa copulaturi, eosdem a Templi vestibulo usque ad Altare pugnis concutiebant;* (Binet.) Indicantes neminem ad gaudia peruenire, nisi per tolerantiam aduersorũ.

Sacrificia Hetrusc. SACRIFICIA NVPTIALIA.

Apud Hetruscos in coniunctione nuptiali porcam immolabant. (Al. ab Alex.)

Græci. *Apud Græcos in Epithalamio Deos præsides nuptiarum inuocabant,* videlicet, *Iouem adultum Iunonem adultam; Dianam suadelam.* (Plutarc. in quæst. Græca l. 1. cap. 2.)

Bœotij. (Plutar. in Aristide.) *apud Bœotius & Locros nihil erat in Sponsalibus firmum, nisi Sponsus & Sponsa in Ara Ecclesiæ Virgini dicata prius libaret,* Dum nuberent, inuocabatur *Deus iugatinus*: Dum Nupta domum duceretur, *Deus* do-

omidicus, vt domi esset, *Domiducius*, vt cum viro maneret, *Manterna*: cum postes vngerentur, *Iuno. Vnxia*.

(Valer. Max lib. 1 cap. 8. num. 4.) Erat Romæ *Templum Fortunæ muliebris* in memoriam *Veturię* & *Volumnię* dedicatum, id est, Matris & Vxoris *Coriolani* cum dicaretur ei Simulacrum, auditæ bis sunt voces hæ: *Ritè me Matronæ vidistis, & ritè dedicastis*. Addit *Dion. Halicarnassæus*, (lib 8) *quod monitu primæ Sacerdotis sit institutum quod hoc simulacrum solæ nouæ nuptæ coronarent*. *Fortuna muliebris*

MODVS DEDICENDI.

Sponsam.

(Plutarc. in quæst. Rom. n. 15.) *Romani non patiuntur nuptam transcendere limen, sed sublata trāsportatur à pronubis*. Huius rei tres causas dat Autor; *Prima, quia in raptu non vltro intrauerunt mulieres Domos, sed illatæ sunt, vt Liuius lib. 2. Secunda, quia videri volunt non volentes, sed vi coactæ eo ingredi. Tertia, quia hoc signum est eas exire*

etiam domumque relinquere non debere, nisi vi eijciantur, sicut vi introducuntur. Nam etiam in *Bœotia* in nuptijs axem plaustri ante fores comburunt: significantes Sponsæ hic jam manendum esse, sublato auehendi instrumento. *Quartam* causam subiungit *Cicero* de claris Oratoribus, vbi *de Scipionis familia* dicit, *ex duarum familiarum coniunctione, gloriam stirpis in vnam domum vel in vnã arborem inseri:* Hoc igitur modo illiminatur Sponsa seu in limen infertur alienæ familiæ; vt ibi nomen suum deponat nouumque Sponsi induat.

Cajus, Caja. (Plutar.) *Sponsa introiens domũ Sponsi debuit dicere: vbi tu Caius, ego Caja:* cuius rei duas dat caussas *Primo, quia Spõsa hac cõditione intrat, vt particeps omnium rerũ & gubernationis fiat.* Itaque hæc verba hoc significãt, vbi tu Dominus eris & paterfamilias, ego Domina ero & materfamilias. *Secundo, quia Caja Tarquinij prisci Regis Vxor optima lanifica fuit ideo institutum, vt nouæ nuptæ ante Mariti ianuam interrogatæ, quomodo vocarentur: Cajam se esse dicerent.*

(Va-

(Valer. Max.) *Romana Sponſa domo egreſſa ibat præcedente Tibicine, & eo qui canebat Hymenæum, colum ſecum ferens & fuſum cum ſtamine* : Canebatur autem ſic; *Hymen, ò Hymenæe Hymen: Ades ò Hymenæe Hymen*. Fiebat autem in gratiam *Hymenæi Dei nuptiarum*, qui à *Grecis* pariter & *Latinis* colebatur, & pingebatur *coronatus floribus & Amaraco, dextra, facem tenens, ſiniſtra flammeum, in pedibus croceos ſoccos habens*.

Romana Sponſa.

Hymeneus.

(Feſtus.) *Apud eoſdem ducebant Sponſam duo pueri, qui ex eodem patre & matre ſunt nati, ſeu (vt Feſtus ait) quorum vterque parens in viuis eſſent, tertius autem præibat, & præferebat facem ex ſpina alba*; Fax verò hæc dicebatur *Prælux*; & rapiebatur ab Amicis, ne fortè illam citò vir ferret in ſepulchrum, vt ibi combureretur, quod erat ominoſum. *Plutarchus* (in quæſtion. Roman.) *dicit, quod quinque præferebantur faces*, & dat cauſſam: *quia impar numerus diffindi pariter non poſſit, quinarius verò maximè congruit Nuptijs; Nam*

Pueri ductores ſponſæ.

Faces.

ternarius primus est de imparibus, binarius primus de paribus, ex his tamquam mare, & fœmina nascitur quinarius.

Græci. *Apud Græcos medio in curru Sponsa locabatur, comitabatur eam Sponsus & ad finis aliquis necessarius, qui Parochus dicebatur, eò quod pedibus iret.* (Rodig. l. 4. c. 15.)

Morem fuisse apud eosdem fertur, vt Sponsam in viri domum euntem puer Spina & glande quernæ obsitus præcederet & canistrum panis præferens clamaret, Effugi malum, inueni bonum.

Roman. *Apud Romanos Sponsa in domum Sponsi deducta in gyrum vertebatur, causam dat ne scilicet viam sciret ad paternas ædes.* (Tiraquellus.)

PRAXIS DIPONENDAE.

Domus quam Nupta ingrediebatur.

Roman. *Ianua cingebatur lana apud Romanos & lauro exornabatur. Sponsa verò ingrediens, postes vittis laneis attingebat, & oleo vel adipe suillo vel lupino inungi iubebat, ne quid*

quid perniciosæ pestis irreperet. (Plinius l.28.c.9.) Et ab hac vnctione, quam noue nuptæ faciebant, dicit *Seruius* dictas *Vxores, quasi Vnxores*. *Vxore quasi Vnxor.*

Alij felle nigri canis sufficiunt faciebant. (Alex. ab Alex.) *Alij in villarum foribus ponebant rostrum lupi, ne quid periret aut fascinaretur.* (Horat. lib.1. Satr. 8 *Alij caput Draconis liminisubijciebant.* (Plin. lib.29 cap 4.) *Fel.* *Rostr lup.* *Caput Drac.*

Alij Stellam marinam vulpino sanguine illitam, ne quid periculi aut noxæ foret, defigebant. (Al ab Alex.) *Focus accendebatur à Sponsa, & deposito in eo nummo, insignum cultus Larium pluribus ornabatur corollis; Aedium verò fores exornabantur floribus, & frondibus,* (Varro.) *Stella.*

CIBVS NVBENTIVM.

Cibus fuccus papaueris.

Sponsis apponebatur papaueris succus lacte & melle dilutus. Ouid. lib.4. Fastor.)

Apud Persas malum edebatur aut cameli medulla, nec libebat alieno cibo uesci eo die. (Strabo.) *Per se malum.*

Babylonij & Arabes thymiama ma- *Tymia.*

gustabant. (Herod. lib.)

Cydoniū malum. *Ex Solonis instituto malum Cydonium epulis nuptialibus adhibebatur.* (Plutarch.)

Repotia. *Repotia apud nouum maritum postridie nuptiarum dabantur, & tunc iam Sponsa Dominam agebat; clauis adhaec ei tunc porrigebatur.* (Appoll.l.2.)

Ritus Nubendi.

Ritus. Cimbr. *Cimbri in more habebant, vt ipso nuptiarum die, postquam inter propinquos de matrimonio conuenerat, Sponsus vngens sibi demeret Sponsęque presegmina mitteret, & Sponsæ vicissim Sponso; quæ si inuicem accepissent, mox pro iustis coniugibus habebantur.* (Gueuarra in Horol. Princip.)

Teutones *Teutonum ritu Sponsus Sponsæ & Sponsa Sponsi caput radebat, quod simul atque vterque consensu mutuo fecissent, nuptias celebrabant.* (Idem.)

Armenij. *Armenijs Lex fuit, vt Sponsus dextram aurem Sponsæ, Sponsa vero Sponsi aurem sinistram rumperet, quo facto & illa se illius coniugem & ille se huius maritum testabatur.* (Idem.)

Ellimitæ. *Elamitis solemne fuit, vt Sponsa digi-*

digitum annularem Sponsus pungeret; & sanguinem inde manantem sugeret, & Sponsa itidem digitum annularem Sponsi pugneret, & simul atque sanguinem alter alterius è digitis libasset, coniuges erant. (Idem.)

Numidæ habitauerunt in more, vt Sponsus in terram spueret, idemque Sponsa faceret, lutoque ex amborum sputis temperato mox Sponsus Sponsæ & ipsa Sponsi frontem illineret, & sic lutum alteri vtrinq; illitum, contracti coniugij signum erat. (Idem.) *Numidæ.*

Daci Nuptias celebraturi, certũ in locum Sponsum Sponsamque deuehebant, quo cum conuenissent; Sponsus nouum nomen Sponsæ, quod libuerat, itemque Sponsa Sponso vicissim imponebant: quæ nominum impositio, si ab vtroque rata habebatur signum erat contracti coniugis. *Daci.*

Apud Pannonas Nuptiarum initio Deum familiarem, quem Larem vocabant, id est, Deum domesticum, Sponsus Sponsæ ex argento factum; itemque Sponsa Sponso Deum suum argenteum mittebat, & postquam alterius Deum alter acceperat, iam coniuges erant. (Idem.) *Pannones.*

Apud

Thraces. *Apud Thraces noua nupta ferramento subtilissimo cādente, quandam charactere in fronti noui mariti inurebat. Sponsus vicissim in fronte Sponsæ; quibus cauterijs notati coniuges habebantur.* (Idem.)

Sicyonij. *Sicyonioru͂ lex nuptialis fuit, vt Sponsus Sponsæ & Sponsa Sponso calceum mitteret; quod si alter alterius calceum accepisset, signum erat contracti Matrimonij.* (Idem.)

Tarētini. *Tarentini in more habebant, vt nupturi mensæ accumberent, & Sponsus Sponsæ & Sponsa vicissim Sponsi manu ingesta comederet: quod si per incuriam aliquis eorum propria manu in os ingereret cibum, nec firmum nec ratum erat coniugium.*(Idem.)

Scythæ. *Scythis lex erat, vt quemadmodum nostro æuo matrimonium inituri manus dant & accipiunt, ita pedibus Sponsus Sponsæ pedes, genua genibus, manibus manus, cubitos cubitis, capite caput tangeret; & tandem postquam inter se complexi erant, satis confirmatum habebatur matrimonium.* (Idem.)

SYMBOLA NVPTIALIA.

(Idem.) *Cyro Regi spectaculo se oblectanti in Scenam produxerunt tres fratres sororem, Colum nentē, Equum adaquantem, & Amphoram cum acqua. Miranti Regi virginem, & quæ sit quærenti; fratres responderunt, sororem suam esse. Placuit Regi tam laboriosa Virgo, eamq; in Vxorem duxit.* Hæc iam Regina facta in sua corona insculpit *fornicam & apem Symbolum sui laboris, cum lemmate:* HOC EXSTO, QVOD GESTO. in tumba vero sua excidi curauit *Colum, Amphoram, Equum.* *Ciri laboriosa Conjux.* *Eius Symbolū.*

(Cassiod. in epist.) *Aegyptij ornabant filias suas etiam pauperrimas torquibus, & ab alijs pro torquibus filiæ stipem erogabant. In his torquibus figuræ erant sex; Prima,* TVRTVR, *cum lemmate,* SIC SOLA *Secūda,* COLVMBA; *cū lēmate;* SIC CASTA. *Tertia,* AQVILA, *cū lēmate;* SIC PROMPTA. *Quarta,* CICONIA *cum lemmate,* SIC PIA. *Quinta,* NOCTVA, *cum Lemmate;* SIC VIGIL. *Sexta:* ALAVDA *cum lemmate,* SIC SANCTA AVT DEVOTA. *Aegyptiorum Torques.*

Pausaniæ inquit, tracta Virginem

nem vt fuluia Porphyniten.Porphynites verò lapis eſt, in quo quidquid vis ſculpere poſſis. *Fuluia* ergò ſculpſit in illo virginem ſuper teſtitudine ſtantem è partibus duos ſerpentes: in dextera manu pomum ſtellarum; læua corniculam pellebat: ex capite creſcebat palma. *Hoc ſingulum Virginis eſt: In teſtudine ſtat*, vt ſciat Virgini conuenire: grauiter & tardè moueri. *Serpentes à lateribus* ſignificant, vt ſit Sapiens, & circumſpectæ vbique. *Pomum ſtellatum* notat, vt Cœlum habeat in operibus manuum, & virtutibus velut ſtellis vitam ſuam ornet. *Corniculam pellit*, vt non ſit garrula & litigioſa. *Palma creſcit ex capite*, quia virgo vincere debet virtute ſua omnes paruas cogitationes & deſideria.

Porphynites.

Virginis Symbol.

Dux Mediol. Sponſæ Annulum mittit: remittit illa Lances aureas.

(Platina) *Iohannes quidam Dux Mediolanenſis Leonora Sponſæ duos annulos miſit, in quorum ſingulis, ſingula gemma erat pernicioſiſſimæ. In gemmarum vna ſcriptum erat:* AVE, *in Secunda* AGE id eſt, Saluto te & rogo, vt facias hoc quod faciendum promiſiſti. *Leonora hæc remiſit*

tale

tale hieroglyphicum: duas lances aureas, & in vna verbum EXPENDI, *in altera verbum* APPENDI, *posuit*, id est, consideraui hoc quod petis, & ad pectus meum appendi seu admisi.

Athenienses singulis annis festum Amoris celebrabant: in quo mutua charitatis Symbola depicta exponebant, & specialiter Amorem inuicem aut conciliabant aut redintegrabant. Alij ergò Geminos: alij Castorem & Pollucem: alij alia charitatis Symbola promebant, (Tympius.)

Atheniẽses Festũ Amoris celebr.

(Petrus Rebuffus lib. de priuilegijs.) Antiqui scite admodum ac perbelle Amici figuram descripsere. Pingebant insignis formæ *Adolescentem, capite nudatum, hirsuta veste indutum, in cuius fimbria scriptum erat:* VITA ET MORS. *In fronte* HYEMS ET AESTAS *habebat latus vsque ad Conapertum, vbi hæc aurea verba legebantur,* PROPE ET LONGE: Hæc autem omnia insignia quædam documenta præmonstrabant. Quid *ætas viridis*? quod vera amicitia vire-

Amici pictura.

vire scat semper, tempore senescat nullo. Quid *villosa vestis* adumbrat: quod fidelis amicus stebet esse paratus ad toleranda quælibet ardua pro Amico. *Detectum Caput* indicat, amicum numquam esse negandum *Latus apertum* quid? innuit Amicum esse diligendum, in ore non tantum, sed corde & opere, In *fronte Hyems & Aestas*; quia verus Amicus tam in prosperis quam in aduersis leges amicitiæ conseruat. Circa *Cor* erant hæc duo verbaliteris aureis exarata; *Prope, & Longe*; hinc deducitur; quod veri amici etiam absentes tanquam præsentes se mutuo diligunt; distantia enim loci non tollit Amicitiam. Corpora quidem sed non corda animosque separat. In *fimbria mors*, *& vita*. Quid hinc? qui vere diligit: vsque ad mortem amat.

Symbolum aliud. Huc quadrat quoque Symbolum istud: *Columbæ duæ vtrinque pedibus tenent annulum cum inscriptione*; COMMVNIS VTRIQVE; Supple compes seu vinculum: Annulus enim compes cordium est. Infra pingitur *Ciconia* Serpentem lacerans; *Lemma*;

NE-

NECATNE NOCEAT; significat à connubio omnem acerbitatem & venenum abesse debere.

Carrepta VVilhelmi Marchionis uxor in Symbolo, Lunam habuit cum lemmate; ME TVIS ORNARI. *Ipse vero Marchio Solem habuit cum lemmate.* SIC MVTOR AD ILLAM (Tipatius.)

Marchionis & Vxoris Symb.

(Idem.) *Hieronyma Arragonia M. Antonij Columnæ uxor ad significandam perpetuam cum marito concordiam duas faces vinculo quodam aureo colligatas habuit pro Symbolo; cum lemmate,* VNA FVIT, ET VNA ERIT. id est, vna anima, vna vita cum marito.

Vxor M. Anton. Col.

Faces constantia.

(Idem.) *Constantia Sforzia Ducissa, vt suum seronum candorem inter coniugales curas testaretur, Cygnum in aquis natantem & desuper tres vespertiliones, suo volatu quasi tenebras minantes, pro Symbolo habuit, Lemma,* CANDOR ILLAESVS.

Cygn.

(Idem.) *Anna Regina Vngariæ & Bohemiæ Ferdinandi I. Imperatoris Vxor manus connexas cum rosa pro Symbolo amoris habuit.*

Ferdin. I. Vxor.

Lem-

Lemma: SIC IN PERPETVVM.

Caroli V. Vxor. *Isabella Caroli V. Imperatoris Vxor in Symbolo suarum virtutum quibus Sponso placeret, pingi curauit, Tres Gratias, quarum vna rosam, altera myrthum, tertia glandem præferret: Lemma,* HAS HABET ET SVPERAT.

Gratiæ.

Renata Herculis Vxor. *Renata Vxor Herculis Secundi Ducis Ferrariæ pro Symbolo habuit duas manus quasi inuicem se salutantes: & duos ramos in modum crucis positos desuper cornam: Lemma,* VNA FVIT.

Margarita Friderici Vxor. *Margarita Ducissa Mantuæ Friderici Vxor in Symbolo habuit duas manus ad se porrectas & iunctas. Lemma:* IN AETERNVM:

Elisabetha Ferdinandi Filia. *Elisabetha Austriaca Ferdinandi Imperatoris filia, Arborem fructiferam habuit in Symbolo, desuper vero è nubibus manus fulmen tenebat, ac illo Arborem findebat, Lemma:* SOLA MORS SPOLIAT MVNERA NOSTRA.

Sigis. III. *In Nuptijs Sigismundi Tertij Regis Poloniæ cum Austriaca Archiduce* numisma cum Symbolo cudebatur. Stabat à dextris *Aquila Nigra biceps Imperij Romani*, à sinistris

nistris *Aquila Alba Regni Poloniæ*: vtraque verò Aquila insistebat Stemmati Austriacæ domus,quod est , *Alba Tænia in scuto rubro*: Lemma ; POST ANIMOS SOCIASSE IVVABIT.

Secundum Symbolum eiusdem Regis erat, *Duæ Palmæ* supra aduersas partes ripæ fluminis se inuicem versum se acclinantes cum hac inscriptione : AMOR DISTANTIA IVNGIT. *Idem.*

Franciscus II.Valesius,Rex Galliæ habuit pro Symbolo aureum nūmum coronatum , quem dextra ad lapidem lydium probabat. Lemma; Sic SPECTANDA FIDES. Significabat , fidem Amicorum & amorem Coniugium, non verbis, sed re præstari & cognosci. *Francis. II.Vales.*

QVAEST. VI.

De Orationibus Munerum oblatorijs.

MVnera offerri solēt variè: Alia inter Sponsalia & Nuptias, Alia postridie Nuptiarum , & hæc quidē partim à Spōso Sponsæ, partim ab Hospitibus, partim ab inuitato.

tatorum Legatis. Sed omnibus idem modus offerendi conuenit: itaque de duplici Oratione hic dicere sufficiat: de Oblatoria scilicet munerum, & de Responsoria ad eandem.

QVAESTIO I.

Quomodo construitur Oratio, in qua munera offeruntur?

Oratio Munerum oblatoria.

Postquam *rationem* aliquam inueneris, propter quā munus istud te offerre dicas dispone eam iuxta aliquem modum supra dictum: hæc tamen puncta in ipsa rationis expositione include. *Primò*, Expone animum & adfectum offerentis, & beneuolentiam eius semper consecratam alteri commenda. *Secundo*, Extenua breuiter & ingeniose munus oblatum. *Tertio*, Roga vt munus beneuolè recipiatur, & constantem impostetum adfectum offer. *Quinto* si munera post Nuptias offeruntur, potest addi apprecatio felicis & concordis vitę in Connubio: Meminerit supra omnia Orator breuis esse in eiusdem oblatorijs, & in ea laudem sciat positam esse, si compendio sè

diosè & eruditè hoc officium transegerit. *Duos autem præcipue modos à modernis obseruare licuit in eiusmodi Oratiunculis.*

Primus est.

Incipiunt ab aliqua Sententia, vel Exemplo, vel aliquo discursu de testificatione Amoris; deinde exponunt beneuolentiam suam; quam munere oblato testantur; tandem extenuant munus, vt suscipiatur orant, offeruntque se ad cætera obsequia liberalissime.

Secundus est.

Ex occasione muneris quod offertur, omnia hæc supra dicta puncta per *Allegoriam* exprime: ad quod plurimum cõferent iam iam scribendæ eruditiones.

PRAXIS PRIMA.

Praxis Prima Oratio. Oblatoria mun.

Vtcunque verbis Amorem nostrum & lætitiam explicare conati fuerimus, N. amplius tamen in pectore feruet desiderium, quod

satis

ſatis Lingua exſolui non poteſt: grandior vrit adfectus, qui interpretem ſui vultum, pro dignitate neſcit ad cognitionem incendere. Optimè itaque ex Maiorum inſtituto, aliam Eloquentiam inuenimus, & cum ore non ſufficeret, manu loqui incepimus, cuius dicere dare eſt, cuius verba munera ſunt. Et licet hic etiam Amoris Orator infirmus ſit & infans, vbérius tamen & clariori pectoris beneuolentiam perorat Elocutione. Hac igitur & ego facundia inſtructus, cum N. tibi hoc ſimplex amoris argumentum porrigo, Tu N. in ęternam amicitiæ perſuaſionem admittas, ſed vna cum animo meo, à quo ſicut humanitatis teſtimonia veniunt, ita pretium accipiunt: Humilis fateor Amoris character eſt, ſed cogitabis, omnes amare poſſe & lætari, à nemine amorem, & lætitiam ſatis explicari.

PRAXIS II.

Cymbiū. Si offerre velles *pocutum nauis inſtar fabrefactum*, quod vulgo *Cymbium* dicitur, & inſuper an-

anchoram adderes; hac vti posses Oratione.

Onerariam plenam non mercium gemmarumq; sed votorum tibi veho.N. Gubernacula tua petit hæc Nauis: Sincerius nemo *Nauigium* regere potest, quam is qui sua gerit regitque commoda. Occupa prudentia tua *Malum*, vt in integro attingas. Enauiga feliciter his remis omnes tempestates *Nauim* inconcussam turbulentis exime fluctibus. *Fauonij* benigni, venti placidi fidique te propellant, quò te fortuna, quò te quies tua vocat. *Anchoram* etiam eidem *Nauigio* addo, quam iacere ad felicitatem tuam, quietemque poteris tunc potissimum, cum tempestates te exagitarint. Hæc te *Anchora* tutæ ac firmæ beneuolentiæ sistet inter ipsas turbas ac mota discrimina; hæc portum tibi inter maris procellas statuat. Vtere illa feliciter, nullumque naufragium pertimesce.

Praxis Altera.

PRAXIS III.

Oblatio Torquis

Praxis Tertia.

Amoris compedes & amicę seruitutis Catenam qui torquem esse

diceret, an à veritate calculum non mereretur? N. Ad quid enim colla cingimus, nisi vt publico argumento nos amicorum captiuos voluntaria deditione profiteamur. Et sint dulcia licet semper vincula, sint amabiles catenæ, quas AMOR Tyrannus inijcit: non eo tamen nomine hunc Torquem N. offero. In seruum me, & amicitiæ mancipium dedico atque vincula simul, quibus in omnia obsequia meam obliges voluntatem, porrigo, Non *Gallicus* olim duntaxat *Hercules* ea gaudebit prærogatiua, vt missis ab ore catenis, omnes ad suos nutus inflexerit; etiam Tu inter amicos felix imperabis. *Imperare enim inuicem & seruire amicorum est.* Cæterum cum torquem hunc vile adfectus mei documentum benignè admiseris, animum meum cum tuo aurea vnione colligatum esse interpretare.

QVAESTIO II.

Responsoria ad præced.

Quomodo construitur Oratio in qua respōdetur ad oblatoriam mun.

Responsurus hæc puncta obseruet.

uet. *Primo*, Demonſtret gratum ſibi eſſe adfectum offerentis, *Secundo*, Munus oblatum æſtimet & breuiter collaudet, *Tertio*, Mutuum affectum polliceatur.

Aduerte autem quod tota reſpondentis induſtria in eo verti debeat; vt reſpondendi occaſionem ſumat vel ex verbis offerentis, vel ex re oblata. Ad hoc autem multũ iuuabit; *ſi rerum earum, quæ pro munere offerri ſolent, Qualitates & Adiuncta bene conſiderabit*. Pulchros enim, & ingenioſos conceptus eruet; v.g. *ſi de Serto dicturus dicat*; Amorem ſemper floridum eſſe, ſemper coronatum incedere, ſemper amœnitatibus tamquam floribus cingi, & numquam finem ſcire, vt circulus ſerti &c.

PRAXIS I. RESPONSORIA.

Ad primam Praxim præc quæſt. *Reſp. ad I. præced.*

Non Amorem, & lætitiam tantùm peſuaſiſti, hac duplici oris manuſque Eloquentia. N. Sed animũ & gloriæ commendationem meruiſti non vulgarem. Nefas eſt, inter eos Te numerare oratores, qui

vt facundiſſimi. *Mel & Roſas* locuti fuerint, non niſi tamen clamores ſuis auditoribus dederunt. Eorum Catalogo inſcribimus, qui ab aurea elocutione aureum nomen acceperunt. Teque nouum noſtri æui (abſit inuidia verbo) & potiorem Chryſoſtomum, Chryſologumque placet appellare. Crede mihi non in ſumma aure hęret hoc aureum amoris verbum: altiſſimè in pectus à N. demittitur, vt in aureas gratias exſurgat. Cui ſiquidem pro maieſtate impræſentiarum reſponderi non poteſt; animum erga te ſuum æternis obſequijs N. perorabit.

PRAXIS II.

Reſponſoria ad Secundam Praxin præcedentis Quæſtion.

Reſp. ad II. præc. Feliciter in portum beneuolentiæ gratiſſimus Amoris Nauta Onerariam tuam appuliſti N. Excipit votorum merces lætiſſimus N. Dominus, & quia in regno Amoris Cor & *Animus* monetæ ſunt, quibus emuntur omnia non alio etiam pretio hæc amicitiæ mercimonia redimit ſoluitque.

Vt-

Vtcunque fauerint venti & Dominum N. super procellarum capita tempestates vehent incolumẽ non se felicem tamen opinabitur, si non magis te quam *suam Cæsar fortunam*, comitem secundorum habuerit. Hoc cum fouet, cum exoptat cum æternam lætitiam *Anchoram* apud animum tuum, suumque iecisse se arbitratur.

PRAXIS III.

Responsoria ad Tertiam Praxin, praced. Quæst. *Respons. ad III. præc.*

Vti seruitus Amoris grata est, ita Symbola amicæ seruitutis non possunt esse nõ gratissima N. Certè accipit lætissima fronte Torquẽ hunc quẽ tradidisti; & quod *Mãlius* olim fecisse ad famæ commendationem perhibetur, hoc in amoris tui meritum faciet. *Detractum ille in acie è collo Galli torquem, suæ ceruici imposuit, & eam ob rem, apud posteritatem Torquatus audire meruit:* Dominus N. Catenam hanc Amoris, quæ non è collo sed corde tuo processit, gratissimi instar muneris, imò dicam opimi instar Spolij de tuo animo reportari habebit, meliusque

Manlius vnde Torquatus dictus.

in Corde quàm collo torquem hunc portabit, vt & ipse Amoris tui *Torquatus* possit nominari.

SENTENTIAE HVIC MATERIAE SERVIENTES.

Abel. *Non Abel ex muneribus sed munera ex Abel placuerūt.*(Gre. l. 12.)

In beneficio conferendo plus animus quàm sensus operatur. (Augustinus.)

Regium est & humanum paruula accipere & largiri magna.(Plutar.)

Nihil offertur Deo ditius bona voluntate. (Greg.)

Ante Dei oculos non est vacua manus à munere, si arca cordis plena est bona voluntate. (August.)

Reijciēdi genus est protinus aliud inuicem mittere, & munere munus expungere. (Sec. l. 4. de Benef.)

Benefactorum recordatio iucundissima est (Arist.)

Beneficia eo vsq; grata sunt dum videntur exsolui posse: vbi multum ante venere pro gratia odium redditur. (Tacit. l. 4.)

Liberale officium, serere beneficium, vt possis metere fructum. (Cicero.)

In-

Interdum beneficij solutio est ipsa confessio. (Seneca.)

Duo beneficentiæ venena seu vulnera sunt hinc exprobratio largientis hinc obliuio accipientis: vtraque mater ingratitudinis & beneficij Nouerca (Petrar.)

Nemo habet etiam in beneficijs manũ, vt non sepe fallatur. (Senec.)

Maximum beneficium est, vnus in fame panis; (Senec.)

Animum in beneficijs spectemus, nec pretiũ ijs vmquã à se faciamus, sed ab adfectu. (Lipf. Cen. I. Ep. 4.)

In beneficijs nõ vt in pecuniæ redditione quærere opus est, vt soluas, sed agnitione, & grato animo. (Lip.)

Extra fortunam est quidquid donatur Amicis.

Quas dederis solas semper habebit opes. (Mart.)

Acceptissima semper munera sunt,
Author quæ pretiosa facit. (Ouid.)

Multiplicat doni grauitas authoris honorem.
Et Maiestatem res data dantis habet. (Idem.)

Ei plurimum tribuamus, à quo diligimur plurimum. (Cicero.)

Quoniam non potest fieri id quod vis, id velis, quod possis. (Epictet.)

Non quanta quæque sint, sed à quali & quo Domino dentur, perspiciendum est. (Seneca.)

Valentior fortuna Voluntas est. (Idem.)

Melius est benefacere quam benedicere. (Cato.)

Vultus & frons animi est Ianua, quæ abstrusam animi voluntatem significat. (Cicero.)

Oratoria Supellex.

ERVDITIONES ET ALIA Supellex.

Annulus.

De Annulis.

Plinius pessimum vitæ scelus patrasse dicit eum, qui annulum digiti primus induit. (lib.13.c 1.)

Promethe us Annu-li. Author.

(Kirchm.de Annul.) *In Fabulis Prometheus habetur author annuli;* Hic exsectum circulum ex catena qua ad *Caucasum* ligatus erat, dicitur gestasse cum rupis fragmento, vt maneret pœnæ recordatio. Vnde factum est, *vt in gratiam Promethei Parentis homines deinde annulos gestarent.*

Seruis dabatur annulus.

Seruis in libertatem vocatis, circulus ex catena cum particula lapidis, de quo fuerant empti eidem circulo inserta dabatur, vt essent memo-

mores conditionis pristinæ. Deinde ex luxu ferrum in aurum, lapis in gemmam, transit: cæpitque esse gesta men, quod antea fuit vinculum, & ornamentum: quod fuit tormentum. (Petrasanta l. 3. de Annulis.)

Annuli dantur Sponsis quia seruire inuicem coniuges debent, nec retinent sui in matrimonio libertatem. *Spon. dantur annuli.*

Apud *Pythagoram* etiam *Annulus Symbolum seruitutis fuit*, ideo prouerbio monebat; *arctum annulum ne indue*, id est in duram seruitutem te non committe. *Annulus seruitutis Symbolū.*

Flamini Diali interdicebatur annuli vsus: nam Sacerdotes maximè debent esse liberi. Nostri tamen vtuntur vtcunque, quia Deo & virtuti seruire debent. *Sacerdotibus interdictus.*

Numæ Pompilij & Seruij Tullij statuæ cum annulis erant tempore Plinij in Capitolio; quia Rex bonus est seruus publicus. *Statuæ cū annul.*

Post exactos Reges annuli ferrei erant Romæ apud Imperatores & manserunt tamdiu, quam manserunt aurei mores. *Imperator annul. ferr.*

In funere apud Romanos luctu, & acerbis Reipublicæ casibus aureos *Mos. Ro.*

annulos deponebant, & ferreos induebant.

Annuli diuersi. *Erant annuli æstiui pro Aestate, hyberni pro Hyeme, verni etiam & Autumnales, Cādida gemma Hyemem, Cerasina Ver, flaua Aestatē, rubea Autumnum repræsentabant.*

Heliogabalus. *Erant pro singulis Mensibus singuli annuli, imò Heliogabalus quotidie toto anno annulos mutauit, & singulos semel tantum induit,* (Petrasant. l. 3.)

Annulus pronubus *Annulus Sponsæ dabatur loco pignoris, quem Tertullianus* Pronubum *vocat, & Iuuenalis* Pignus digiti.

Seleucus. *Seleucus in annulo Anchoram sculptam habuit;* conuenientissimam Sponsis; quia est signum fixę firmæque beneuolentię, vt possit dici illud Poetę.

Anchora iacta mihi est:

Anchora. (Propert.)

Et illud; *Iam Anchoram ad felicitatem jeci.* (Pindari.)

Indi. Nec nouum est Anchoram portare in manibus, dicit enim *Philostratus* (In vita Appol) Consuetudinē apud *Indos* fuisse, *vt Anchoram auream in manibus gestarent.*

Polycrat. (Clemens Alexandrin.) *Polycra-*

crates in annulo habuit sculptam lyram, Quæ signum est concordiæ, ex hoc.

Vbi nuptiæ ibi harmonia, vbi harmonia nostra, Deus iungitur. (Ambros.)

Annulus nuptialis in quarto digito manus sinistræ portabatur. Ratio huius præcipua est, quia in eo digito vena quædam reperitur, ad Cor usque pertingens, & hoc modo putabatur, ab Aegyptijs cor ipsum coronari. Ideo bene non nemo dixit: annulus est corona cordis. *Annulus corona cordis.*

Romani soliti sunt, omnes alios digitos coronare, præter medium, qui morosus sordibus, impudicus dicebatur. (Pierius lib 4.) *Romani.*

Annulus, qui à Sponsis offerebatur, ferneus fuit, & sine gemma: pertinet hoc ad durationem & robur: vel ad modestiam & fugam luxus; Gemma autem Annulo deerat, quasi ipsa Sponsa gemma esset. (Plinius lb.3.c.1) *Annulus sine gemma.*

Apud Persas Annulis, ac monilibus vt nulli licebat; nisi cui à Rege data essent. Proinde donari annulo, magna beneuolentiæ & amicitiæ signum erat. *Persæ.*

Apud Romanos soli honoratiores

 vti

vti Centurio, Tribunus &c. aureis vtebantur annulis; alii omnes ferreis. (Plin.)

Legati. *Iidem legatis ad exteros profecturis annulum aureum tanquam insigne munus dabant.* (Idem.)

Carth. *Carthaginenses pro munere expeditionum militibus annulos dabant.* (Idem.)

Hannib. *Hannibalis annulus venenum pro necessitate seruatum sub gemma habuit.* (Idem)

Victimæ obsignatæ. (Petrasant.) *Nefas erat olim, victimas offerre, nisi eas prius Sacerdotes annulo obsignauissent.* Habuit verò hic annulus in gemma scultum hominem, procumbentem manibus iunctis, cum gladio ad iugulum.

Annulus Medæ. (Plin.lib.13. cap.1.) *Midæ aut potius Gygis annulus erat, cuius gemma si versus volam manus vertebatur, ipse à nemine cernebatur & omnes cernebat.* Hoc annulo ipse vsus *Opilio in Regem Lydiæ* euasit.

Adami ann.duo. *Adamus duos dicitur habuisse annulos: vnius nomen* OBLIVIO; *alterius* MEMORIA *fuit.* (Ex Tal.Iudæor.)

Princeps Venetus quolibet anno die

die Ascensionis Domini cum solemni supplicatione per mare vehitur, & illi annulum inijcit, vt ita Mare Reipublicæ Venetæ desponset. *Mos Venet.*

Alexander Magnus ante ipsam mortem, cum iam loqui non posset, perdicæ magno amico suo annulum, quo vsus fuerat, insignum Amicitiæ dedit. (Curt.) *Ale.M.*

(Cromer.) *Legatus quidam Polonus apud Imperatorem quondam Germaniæ, cum illi Imperator thesauros ostentarent, quibus se Polonos debellaturum gloriabatur, annulum ex digito de tractum in thesaurum iniecit, dicens addamus aurum auro. Cui imperator vernacula respondens dixit:* Habt Danckorum. *Ex hoc nomen deinceps promeruit familia.* Habdanckorum. *Polonus Legatus.*

Annularem digitum Sacerdotes sacrificaturi varijs odoribus inungebant. (Pierius.) *Sacrificaturi.*

In Pyrrhi annulo Apollo cum nouem Musis exculptus fuit, ac fere Parnassus integer. (Alexan. ab Alex.) *Pyrrhi Annul.*

Plinius iunior quadrigam in suo annulo habuit. *Plin. iun.*

Car. M. *Carolus Magnus pro annulo signatorio gladij capulo vtebatur.*

Pharaon. annul. *Pharaonis Annulus; quem Ioſepho dedit, habuit ſignum crucis, ſignificans, quod ei ſumendorum ſuppliciorum poteſtatem daret.*

Flamen Dial. (Agell.) *Flamen Dialis caſſo & peruio annulo vtebatur.* Nimirum Sacerdos ipſe gemma eſt.

Annul. vetuſt. *Abrahamus Gorleus ſcribit, ſe reperiſſe annulum aureum vetuſtum, cui ſimul adnexa erat clauis; in gemma habuit duas ſpicas ſculptas, inter quas erat gubernaculum nauis, & in manubrio gubernaculi, crux.*

Sponſis annuli dati. *Dabantur Sponſis annuli, qui inſculptam ſponſorum, aut ſponſarum effigiem ad memoriam eorum cordi habendam gererent.* Puto ego inſculptam fuiſſe quædam amoris Symbola, nam & in calceis eiuſmodi Symbola ferebant, vt teſtis eſt *Clemens Alexandrinus*; (l.2. Pædag. c.11.) *Multæ*, inquit, *fœminarum ſoleis quoque amatorias ſalutationes imprimunt, ut uel per terram numeroſè incedentes meretrices Spiritus in inceſſu inſculpant.* Caſtæ autem Sponſæ in ſuperiori parte calcei Symbola hæc geſtabant,

bant, vel in parte subiecta calcei. *addebant soleis clauos, cum ijs formis insignes, quas in sigillis extare uidemus*. Et hinc arbitror natum loquendi modum, cum ex vestigijs alicuius dicantur flores erumpere. Sic dicitur quoque (Apud Pers.) *Quicquid calcaueris, hoc rosa fiat*; Quia forte clauis inscripta fuit rosa. *Fiat rosa quidquid calcaueris unde hoc natum.*

Carolus V. in annulo horologium habuit, quod non sonabat, sed pungendo digitum, horas indicabat, monebatq; Imperatorem temporis exacti. (Petrasant.) *Carol. V. Horol. in annulo.*

Quaedam Regina Vngariae annulum ex Smaragdo habuit; sed prima nocte nuptiarum fractus est; Sentit enim hac gemma iacturam Virginitatis. (Idem.) *Smarag.*

Philosophi suos Magistros in annulis caelatos habuerunt. Stoici Zenonem; Academici Platonem; Peripatetici Aristotelem; Alij Epicurum. (Idem.) *Philosop. Magistr. in ann. habuerunt.*

Alij parentes, Auos, Patriam; Aphricanus Patrem; Lentulus Auum; Iulius Caesar Venerem, Ealba carnis caput. *Alij Alios.*

Alexander M. in annulo uno habuit Darij imaginem pro Epistolis *Alex. M. annuli.*

in

in Asiam à se victam obsignandis: Epistolas verò in Europam suimet imagine obsignauit.

Al. M. Annuli.

In Põpeij annulo ensifer Leo fuit.

Pomp. Aug. annulus.

In Augusta, Sphinx, (significabat robur cum solertia, vel secreta esse principium consilia.) Deinde cum murmuraretur Augustum à ænigmata scribere, imago Alexandri Magni in eodem annulo sculpta fuit.

Harpocr. Deus silentij.

In quorundam annulis *Hipocrates Deus silentii*: in quorundam *Amor Leoni insidens, habenasque regens iram* fuit.

Mæcenas in annulo Ranam hab.

In *Mæcenatis* annulo *Rana* fuit ex *Insula quapiam*, vbi ranæ perpetuò silent. *Hic Mæcenas cum esset Secretarius Augusti, omnem silentij fidem ei promittebat.*

Olim grauatis somno & morientibus detrahi debebant annuli. (Plinius.)

Tiber.

Tiberius sub pœna graui prohibuit, ne quis annulos imagine singulari notatos in lupinaria, latrinas, aut alia loca obscœna inferret, & ob id accusatus est Paulus Prætorius, quod matulã indigens manum cum annulo & imagine Tiberij obscœno vasi admouisset. (Sen.l.3.)

Cato

Cato in annuli sui gemma scriptum habuit, Amicus vnus, inimicus nullus. (Gueuar.) *Cato.*

DE TORQVE.

Constantinus Imperator in Torque suo Solem aureum tulit cum inscriptione: ET ASTRIS ET SIBI. (Niceph.) *Constant.*

(Idem.) *Idem Imperator alium Torquem habuit, in cuius medio pendebat Cor aureum, circumcirca vel omnia suppliciorum genera erant expressa cum Inscriptione;* NIHIL, NIHIL, NIHIL. quasi diceret, Cor verè Deum & patriam amans pro Dei & patriæ amore hæc omnia contemnit.

(Petrasant.) *Burchardus Montmorentius stetit in Acie infractus, dum alij è prælio fugerent;* post intrauit semel aulam *Philippi* I. *Regis Galliæ*, torquem in collo habens connexum ex aureis capitibus Ceruorum, ex quibus dependebat *caput Canis*. Aulici indignati, quod venationum trophæa circumferret, sed ille Regi quærenti de insolito *Buchar. Montmorent.*

Tor-

Torque respondit: *Notari illo torque proceres illos, qui fugerunt ex prælio timidi instar Ceruorum, dum ipse mansisset instar fidelis molossi ad custodiam sui Regis.*

Boles. (Cromer) *Boleslaus Rex Poloniæ* circumferebat in *Torque*, *parentis sui imaginem*, ne vnquam aliquid turpe aut parente suo indignum faceret.

Prórex Neap. Quidam *Prorex Neapolitanus*, cũ iã in extremis esset, illi allatus est torques à Rege, collo eum imponens, dixit; *O quam magna ciphra ex multis ciphris constans.* (Tipocius.)

Aurea Comped. (Dion.) *Cum Sardinius quidam habitandi caussa Carthaginem migrare vellet, Claudius Imperator eum magno studio retinuit, inquiens: Ego de aureis compedibus obligabo.* Intellexit per hoc Senatoriam dignitatem.

Darius. *Darius Medicum, qui se grauiter infirmum sanauit, duarum compedum aurearum paribus donauit,* (Herodót.)

Philo. *Philo hoc sensu dari torquem dicit; Damus Tibi torquem ornamentum in prosperitate, vinculum in aduersitate.*

Pul.

Pulchra est illa catena, quam efficit *Magnes* ferreos annulos attrahens ad inuicem, cum Inscriptione, *Arcanis nodis*. De qua supra. *Catena.*

Tirij obsidione pressi Herculis Dei Imaginem ne à se discederet, aureis torquibus alligauerunt. (Curtius.) *Tirij.*

Torques Fabij Quadrati in marmore incisus, in medio speciem candelabri habuit. (Pierius l. 41.) *Fabij torques.*

Qui in prelio se insigniter gesserant apud Romanos, torquibus donabantur; sed externi aureis: Roman. ferreis. (Alexan. ab Alexan. cap. 3.) *Romani.*

In Gallis erga Ordo, qui torquem ex lilijs aureis concinnatum gestabat, vocabaturque Ordo liliatus.

(Cardanus.) *Ludouicus 2. Valesius instituit Ordinem ex proceribus Galliæ, qui vterentur torque, de quo pendebat bulla cum imagine S. Michaelis Archangeli Draconem calcantis, cum inscriptione; Immensi terror Oceani. Supra torquem verò erat corona regalis.*

DE

DE POCVLIS.

Græci tria pocula apponunt. In Cæna apud *Græcos tria pocula* apponebantur, unum *Mercurio*, alterum *Gratijs*, tertium *Ioui Seruatori.* (Al. ab Alex.)

Grāmaticū poculū Palladi sacrum. *Grammaticum poculum* seu poculum literarum fuit *versib. Homericis* circumscriptum, & *Palladi* sacrum: Hoc postea fuit adfixum in *Dianæ Templo*.

Cymbiū. Erat etiam genus poculi, quod dicebatur *Cymbium*, quia erat in formam cymbę aut nauis factum.

Pocul. Veri Imper. (Capitol.) *Verus Imperator habuit calicem crystallinum; qui nominabatur* VOLVCER *seu* Equus: ab eius equi nomine, quem dilexit.

Heinrici Scyph. In Scypho *Heinrici Galliæ Regis* gemmeo, erat *Angelus aureus, lilium adamantinum manutenens*. (Tursell.)

Didonis. (Virg. lib. 1. AEneid.) In *Didonis* poculo erant res gestæ Maiorum sculptæ, id est, *Iouis, Beli, Agenoris*, &c.

Poculum Rufi. Poculum *Rufi* ex Electro fuit, habens caprum aureum efformatum cum aureo vellere, in quo se-

debat

debat Amor aureus, alatus, inflans tibias, qualibus Epithalamia canebantur. (Mart. lib. 8. Epig. 49.)

Ex Cornibus *Onagri* fiunt pocula, ex quibus qui potauerit, eo die nec ferro, nec igni, nec venenis est obnoxius. (Philo. lib. 3. cap. 41.) *Onagri cornua cōtra venen.*

Ferdinandus Rex, Solimanno Turcæ poculum aureum obtulit, totum gemmis distinctum, habens argenteam machinam horariam, quæ non horas tantùm, sed motus etiam errantium signorum & lunares mutationes exprimebat: Erat autem tantæ magnitudinis, vt duodecim viri portarent. (Iouius & Sab.) *Poculum machinā horariam præseferens.*

Ludouicus XII. Galliæ Rex vtebatur pro Symbolo, *Cratere Cœlesti*, cum inscriptione: *Inter eclipses orior.* (Tipoc.) *Ludouicus XII.*

Scyphus, quo *Nestor* olim vtebatur, dicebatur *Nestorida*: fuit aureis clauis cōfixus; ansæ ipsius quatuor erant, & circa quamlibet duę columbæ aureæ pascebantur; duæ columbæ aureæ sub pedibus Scyphi erant: Hunc Scyphum vocat *Alciatus* Cœlum: *Nestor*

Est

Apollo & Nept. in ædificata Troiæ præmium pocul. accep.

Est cœlum Scyphus ipse colorque argenteus illi
Aurea sunt cœlis sidera clauiculi.
Plejades esse putant quas dixerat ille columbas,
Vmbilici gemini magna minorque fera est.)

(Martius lib.8.) *Neptunus* & *Apollo* in præmium ædificatæ *Troiæ* poculum aureum acceperunt Cecinit autem *Apollo Lyra,* qua sonante muri steterunt.

Figurabantur etiam pocula, exsculpto intus speculo ad multos angulos, vt vno intuente turba apparerent.

Quem quisque gratum habebat, eius speciem insculpebat in poculo, quod de *Epicureis* testatur *Cicero* (Vlt.de fin.)

Cornel. Marc.

Cornelius Marcus vtebatur poculo ex Electro, in cuius medio *Alexandri M.* vultus erat expressus; in circuitu autem omnis historia, & bellum illius exprimebatur. (Trebell. Pollio.)

Baucal.

(Alex. Aphro. in Probl.) Erat & poculum *Baucalium* ita dictum quod redderet quendam sonum cum infunderetur.

(Achil.

(Achil. 2.) Pater *Clitophontis* abuit poculum, eius oram vites a ipso natæ coronabant; è vitibus acemi pendebant cum botris, qui icco poculo omnes acerbi, immisso autem vino rubentes & matu- i fiebant, poterat hoc *poculum di- i Vinea*. *Poculum, vinea.*

Ioseph Patriarcha ex poculo di- uinabat teste S. Scriptura (Gen 44. v. 5.) *Ioseph. pocul.*

Priusquam in conuiuio pocula ustabantur, Dijs libabant Anti- qui, & conuiuis apprecatio insti- uebatur. *Primus* autem calix *io- i Olympio* miscebatur; *secundus Heroibus*; *tertius ioui seruatori*. (Alexander ab Alexandrus libr. .) *Mos Antiq.*

(Idem) Remotis mensis mos uit Antiquis maximum scyphum fferri, qui dicebatur *Sciphus boni minis*, quia boni ominis causa rcumferebatur, & de illo omnes ustabant. *Scyphus boni omi.*

DE CORONIS, SERTIS
& Floribus.

Cajus Caligula coronas inue- nit *Caligula.*

nit instar Solis & Lunæ. (Idem lib.4.)

Corona. Donabantur antiquitus *Corona* viri fortes & strenui in bello. Alia autem erat *Ciuica*, quàm perpetuò

Ciuica. gestare licebat, & fiebat ex fronde, hanc qui meruisset, in ludis; à à populo vniuerso & Senatu ei as-

Obsidion. signabatur. *Corona obsidionalis*, erat ex gramine in eo loco collecto, in quo ciues obsidione liberati

Mural. erant. *Corona muralis* desinebat in similitudinem Pinnarum;

Naual. *Naualis* autem instar nauis rostratæ erat. (Alexan. ab Alexand. lib.1.)

Persæ. Apud *Persas* non modò Sacrificuli, sed omnes, qui Sacro inter erant, coronabantur. (Idem.)

Barbaræ gentes. Apud *Barbaras gentes*, florentes corollas imposuisse, pacis & Amicitiæ signum fuit. (Polybius.)

Rom. *Romani* in conuijs etiam ministros conuiuiorum & pocula & postes coronabant. (Al. ab Al.)

Nuntij victoriæ, literæ & naues & fasces victorum lauro coronabantur. (Idem l.6.)

Dea Flora, & *Dea Salutis* in co-

eodem loco apud Romanos templum erat (Idem.) *Templũ Floræ & Sal,*

(Pierius.) *Corona Musarum* ex pennis nectuntur, quas ex *Sirenum* alias euulsere, quo significatur earum famam Orbem peragrare. *Corona Musarũ.*

Etiam Mortuorum sepulcra solita fuisse coronari, refert *Pierius* (lib. 55.) & quidem *Valeriani filio, Romæ terna corona, rosea in Iulio, Myrthea hyeme ex testamento superimponi debebant.* *Sepulcrà coronata apud Rõ.*

Triumphatori sertum laureũ fuit, sed prius myrtheum: dum autẽ curru in triumpho veheretur, flores per plateas spargebantur. Sertum autem triumphatoris Ioui consecrabatur. (Alex ab Alex.) *Triũphat.*

Rosã olim spinis caruisse docet Basilius: sed post peccatum Adæ spinas assumpsisse: Vnde *Rosa* sine spinis apud Authorem est *Amoris Hieroglyficum.* (Pierius l.55.) *Rosa absq. spinis.*

Idem *Aegiptij*, si quem vixisse ad extremum in offẽsa valetudine & dignitate obseruassent, *Amaranthi* coronã capiti eius imponebant. Est autem *Amaranthus* spica purpurea potius, quã flos & postquam flores defecerunt, aquis ma-

defactus reuiuiſcit, & hybernas coronas facit.

Aeſtas & *Pax* in Spiceo ſerto dicuntur a Poetis ambulare.

CAPVT VII.

De Orationibus Funebribus.

Orationum funebrium duplex genus eſt in vſu. Nam aliæ dicuntur ab Hoſpitibus ad Amicos defuncti ad Hoſpites. De vtriuſque agendum ſeparatis quæſtionibus; & deinde de *Epithaphijs* ſeu Sepulcrorum & Vexillorum inſcriptionibus.

CAPVT II.

Orationes Funebres ab Hoſpitibus ad Amicos.

Quomodo conſtruitur Oratio funebris ab Hoſpitibus ad Amicos defuncti.

Tria præſtare debet talis Oratio; exprimere dolorem ſuper defuncto: Laudare defunctum: & conſolari Amicos defuncti: Hæc autem ita fiunt optimè. *Primo*, Exordiendo ab aliquo diſcurſu de Mortis certitudine,

aut

aut de incertitudine temporis mortis, aut de varietate, aut de potentia: vel dicendo de breuitate vitæ, aut de mutatione fortunæ, aut de Calamitatum impendentium hominibus multitudine: vel declarando, qui dolor ex morte secutus sit: vel optando lætiorem occasionem, in qua adfectum tuum & obsequia defuncto ostendere velles; vel dicendo, ferreum eum fore, qui mortuum talem non defleat: vel describendo dignitatem & potentiam mortui, & ex ea occasione erumpere in querelas & commiserationem: vel laudando Amicos a constantia amicitiæ &c. *Secundo*, Laudando defunctum a Nobilitate Maiorum, a factis Parentum, a meritis & bene gestis erga Patriam, Ecclesiam, alios. *Tertio*, Consolari Amicos, adferendo Causas, quæ dolores mitigare possunt. Tales autem Causæ communiter sunt. *Voluntas Dei, necessitas moriendi communis; rectè acta vita; bene merita in Rempubl. & Ecclesiam; memoria secutura, posterorum felicitas, exempla alio-*

rum, qui mortem suorum tulerunt patienter; dicta Sapientum; Amicorum constantia &c. Sed.

Nota, quod huiusmodi in oratione maximè hi dominari debeant adfectus, *Amor, Dolor, Commiseratio, & alij grauiores*: atque ideo valent *Primo*, *Exordia* ex abrupto aut alio singulari impetu fusa. *Secundo*. Possunt adhiberi frequentes *Exclamationes*, *Epiphonemata*, *Descriptiones*, *Apostrophæ*. *Tertio*, Excuratur sæpe in querelas, de inconstantia vitæ, de fallacia spei de afflictione Amicorum. Patriæ, Ecclesiæ, quando vir singularis occumbit. *Quarto*, *Apostrophe* fieri solet vel ad Amico defuncti, laudando quod talem virum in suo genere habuerint vel ad hospites, excitando eos a mortis terrorem & consideratio nem: vel ad defunctum, gratulan do illi æternam Patriam & Pere nem ex benefactis famam apu posteros: vel ad Familiam, Patri Religionem, Templa, Xenod chia, filios coniugem: excitan ad fletum, quod benefactorem ami-

miserint; vel valedicendo defun:
to nomine singulorum hospitum
& Amicorum : aut illius nomine
hospitibus & Amicis:vel introdu-
cendo ipsum defunctum valedi-
centem.

PRAXIS.

Funebris Oratio.

Hæc est humanæ cōditionis in-
felicitas, vt cum interiturā se pu-
blico æternitatis decreto nouerit,
interitus tamen sui destinatū tem-
pus ignoret. Esset aliquod adhuc
in malorū maximo Solatiū, si, vbi
cauta declinatione euitari nō pos-
set, posset tamen præuideri, vt cū
inopinato ictu vim amitteret. Sed
ò fatorum inclementiā,ò crudeles
supra nomē suum *Parcas!* latet vl-
timus dies,vt obseruentur omnes;
& quasi parum sit,fragile vitæ filū
inuidia manu carpere, omne præ-
terea quod viuimus tēpus,timore
inundat.Sępe nimirum deTempe-
state securi negotiorum ęquor adi-
mus:hilaresque & salui super pro-
cellarum capita triumphamus ;&
nescimus *sub malacia insidias esse*,
ponenteque vento *Brevia* superes-
se & *Scopulos*,qui etiā in portu pa-

rant Naufragium. Omninò *ſicut Fortuna, ita vita noſtra vitrea eſt, cum maximè ſplendet, maximè frangitur*. Et hæc ego non eo animo dico, quaſi Dominus N. cuius oſſa mœſti tumulamus, exiſtimem non expectato mortis telo præuentum eſſe: & in eorum vixiſſe Contubernio, quibus omnia caſu metientibus, omnia accidunt, non eueniunt. Illudque temerarium, & imprudens verbum ſubinde occlamant, *non putaui*. Semper ille mortis, memor, vbique mortem expectabat: Semper virtutis Alumnus, numquam non æternitati maturus fuit, & ne ignaui militis more, ab impedimentis oneratus, tunc vaſa colligeret primum, cum jam in acie ſtandum eſſet, ſuam quotidie in numerato habebat *Conſcientiam*. Exire è vita voluit non excludi, cum ſciret *volentem à Fatis duci, nolentem trahi*. Noſtram hic ego lamentor miſeriam, Reipublicæ calamitatem desleo, quæ tantum virum nobiſcum præter ſpem amiſit; Cuius ſi redimere vitam integrum foret, nemo noſtrum eſſet,

esset, qui de suis illi annis non concederet. *Atlas* certè noster fuit & Patriæ delicium; qui, si mœrorem nostrum noluisset, numquam nasci debuit; si perenne Reipublicæ decus & commodum, nunquam mori. Magnus quidem ille fortuna fuit & Maiorum imaginibus insignis; quippe cuius familiæ claritatem nec ille ignorare potest, qui in Patria nostra plus quam peregrinus & hospes viuit: Sed in hoc verè maximus dici meruit, quod Auorum virtutes supergressus, mensuram suam totus in se habuerit, & fortunam quantamcunque & animo & meritis excesserit: vt nouo naturæ ingenio, non ille ex Maioribus, sed Maiores ex illo ad gloriam & famam nati videantur, iuuentutem & lubricos ætatis annos laudent in illo, illi, qui disciplinis regendum habuere commendatum; Nos putauimus & meminimus innocentiam cum lacte imbibisse, cum ętate corroborasse: & sæpius incertum fuit, an ineo differret a virtute natura. Iuerat æmulo *Vlyssis* studio in exteras Prouincias, quod

hac tempeſtate Noſtratibus nimium ſolemne eſt: Sed innocens exijt, innocens redijt, quod heu nimis rarum. Excepit redeuntem Patria, vt amantiſſimum filium ſollicita Mater; & in Reipubl. obſequijs inſtructum ad Off. N. honorem primum deinde & Off. N. Reipubl. euexit. Hic ille, virtutis campum nactus, quid non egit ut decurreret. Summam adhuc Iuuenis authoritatem atque admirabilem in rebus tractãdis induſtriam habuit; huic ſuauis accedebat affabilitas, affabilitati humanitas, humanitati diligentia. Sic vniuerſi hominum ordines, eum neceſſitatis ſuæ *Aſylum* habere; in auribus eius ſuarum precum domicilium collocare; neque vllum eſſe audiuimus vel infimæ conditionis, qui non illum quem ſupremum dignitate ſuſpiceret, parem ſibi facilitate experiretur. Priuatorum dumtaxat eſſe, *aiebat ſibi & ſuis viuere, ſe publicæ luci expoſitum velut candelam alijs lucere debere, ſibi conſumi*. Quid quod ſemper ille in publica territorij noſtri corona

na

na prudentia superior triumpharit, nosque velut à Sole minora sidera consilium accipere potuimus, & illi, qui ætate ei non cedebant, sententia tamen libenter. Et cuius tandem facundia, Patriæ sibique non morituram, apud exteros famam conciliatam, satis enarret? plus cogitationi hic relinquendum, quam sermoni concedendum est; siquidem multa de Te N. N. dicere possumus, sed nemo satis. Si tamen has lugubres nostras admittis gratias agit Tibi, agetque immortales Patria pro consilijs & ornamento: agunt Senatorum Subsellia pro prudentia; agimus nos pro fama & laude: & Tibi simul illustris familia gratulamur, quod tantum viri decus protuleris, quem imitari possumus omnes, admirari debemus. Prohibe jam cadentes lacrumas ac æternæ Numinis voluntati defunctum concede. *In hanc necessitatem nascimur vt moriamur*; serius aut citius ad illum pertinet, cuius arbitrio totus componitur Orbis. Iuuenis quidem Dominus N.

 vixit

vixit, at senex mortuus est, si non ætatem annis, quod hominum est, sed rectè gestis & virtutibus, quod Heroum est, censemus. Quanquam, quid vixit? quid mortuum dico? adhuc viuit, viuetq; non in hoc mortali corpore fortunæ & calamitatum theatro, sed in animis cordibusq; omnium; mortalitatem deposuit, Vitam non exuit, sed mutauit. Dixi.

QVAEST. II.

Ad Hospites Gratiarum Actoris nomine defunctis.

Quomodo construitur Oratio, in qua gratiæ aguntur nomine defuncti Hospitibus.

Similis in multis esse hæc Oratio priori debet, ita tamen texi solet: *Primo*, ponitur aliquis discursus de morte, aut de miserijs humanis, aut de vita præsenti, aut ex abrupto describitur dolor propter defunctum: aut quocunque alio modo, supra in præcedenti quæst. dicto inchoatur. *Secundo*, instituitur laus defuncti. *Tertio*, fit gratiarum actio hospitibus, qui funebri pompæ adesse voluerunt, siue per se, siue per Legatos missos:

&

& fit repromiſſio obſequiorum in alia lætiori neceſſitate & occaſione. *Quarto*, fit inuitatio ad Conuiuium funebre.

Nota, quod pleriſque in locis inter Magnates legatti mitti ſoleant, qui nomine eorum perorent: Illis ergò, cum gratiæ agendæ, prioribus dignitate prius reſpondendum erit. *Nota.*

PRAXIS.

Et non ille latiſſimè humanæ imbecillitatis imaginem explicuit, qui duarum vocum anguſtijs incluſit Elogium & *viuam mortem vitam hominis* appellauit. N. N. Omninò non morituri ſed morientes viuimus, alterniſque momentis vita & mors, dies & annos, ſibi partiuntur. Ruina & perennis fuga eſt tempus, quod viuimus. Labitur infans in puerum, puer in iuuenem, iuuenis in virum, vir in Senem; & ſic omnis rerum humanarum Hiſtoria, eſt interire. Atque vtinam hoc ordinem conſtanter procederet negotium, & vltimus, qui omnes conſumat dies, non niſi cum ſenectute in-

cumberet: Sed cæca mors nescit discrimina & latronis more quidquid obuium est, diripit iuxta maturos immaturosque inuadit, eo solùm nomine, quia mortales. Ecce recens ante oculos exemplum Dominus N. cuius si rectè gesta, & virtutes consideramus, non immaturè obijt, si annos & desideria omnium, eheu nimis immaturè.

Vt enim famæ satis, vt satis immortalitati vixerit; Nobis certè non satis; non satis Patriæ non satis bonorum votis, qui cum tot immortalia gerentem viderent, vix censere volebant mortalem. Fuit benigniore natus genio, & cœlo liberali, vtpote in quo Natura parens nimium permiserit sibi cum genuit, quandoquidem vnum habere cõcessit ea, quæ vix multis concessit. Cum *Sidonio dicam Natura, Virtus, fortuna in eo sibi compendium fecerant & nobilem nobilissim. Heroum epitomen.*

Et quis non in illo *Aristidis* iustitiam aspexit? quis non *Lycurgi* prudentiam admiratus est? quis non *Alexander* magnanimitatẽ? *Iulij Cæsaris* fortunam? imperterritum

ritum in aduersis *Catonis* & *Pompeij*; pectus vidit, coluit, adorauit? Nemo illo incorruptior; nemo in negotijs agendis aptior, in gratificando humanior; in bene de alijs merendo paratior. *Non sibi Si, sed Patriæ natum sciebat*; quare quod *Themistocli Miltiadis* trophæum, hoc illi amor Reipublic. fuit. Vigilabat, dormiebat, & Patriæ cura semper versabat animum: cuius publicam quietem, priuata inquietudine dicebat sanari oportere. Et audiuit illius ex ore verbum aliquis, quod Religionem, quod Cœlos, quod famam violaret? Sane nihil virtuti ipsius arduum, nihil imperuium fuit: quod autem impietatis & Religionis Amore, præcipuum est, *ne scimis uelle quod uelle in debuit*. Sint igitur multa, quæ luctum familiæ & Patriæ mitigare possint N. N. illud grande & magnum doloris solatium, Dominum, N. sub onere Reipublic. fractum occubuisse. Quamquam & serenitas & tranquillitas, qua supremum clausit diem, quanta & qualis: Deus immortalis! quam non pertur-

turbatè, quam suauiter: In morte sibi vel maximè viuere videbatur, qui dum viueret, assiduè sibi moriendum esse cogitabat; vt minimè illius vita mori obliuione possis, cujus vel ipsa mors visa sit immortalis. Sed quæ am vobis gratiæ referantur Domini Hospites &c. quod Supremo Amicitiæ & Christianę pietatis officio egregiè perfuncti, frequenter confluxeritis, vt diem hunc Patriæ & nobis luctuosum vestro etiam dolore leuaretis: Reuera Amici; reuera vicini & vsque ad summam satorum vrnam in amore constantissimi. Faxint superi, vt hanc obsequiorum industriam lætiori occasione compensare liceat: ad hoc prompti & alacres animos & corda consecramus Interim vt mutuus dolor, mutuo conuictu melius mulceri & profligari possit, post lugubrem laborem ad lugubre conuiuium N. N. Dominos inuitamus.

[***]

SEN-

SENTENTIAE.

Huic materiæ seruientes.

Vno eodemque vbere vitam, mortemque sugimus. (Epictetus.)

Non est res magna viuere, magnum est honestè mori. (Seneca.)

Nemo vnquam mortalium errauit ad Sepulcrum. (Idem.)

Alta vos ò Reges Aula deducit in sepulcrum, vermis, putredo, tenebræ. Gers. Paris.)

Quem Dij diligunt, Adolescens moritur. (Plaut.)

Optima quæque rapit mors, pessima quæque relinquit. (Homerus.)

Puer centum annorum moritur, & peccator centum annorum maledictus erit. (Iesaias. c. 65. v. 20.)

Mors vltima Linea rerum. (Horat.)

Somnus frater mortis. (Sen.)

Mors medicus Malorum est. (Aesech.)

Mors terribilis est ijs, quorum cũ

vita

vita omnia extinguntur ; non quorum laus emori non potest. (Cicero.)

Mors nobis quasi Saxum Tantalo impendet. (Idem.)

Impie & impudenter viuere non tantum est malè viuere, sed diu mori. (Democrat.)

Vndique eadem est via ad Sepulcrum. (Diog.)

Nos accendimur & extinguimur, medio tempore aliquid patimur. (Senec.)

Quoniam vita, qua fruimur, breuis est, memoriam nostram, quam maxime longam efficere studeamus. (Salustius.)

Tota vita discendum est mori, Et *Nullius res difficilior est scientia, quam viuere.* (Seneca.)

Cogites velim mortale Corpus nos habere, sed gloria & laudibus fieri compotes immortalitatis. (Isocrates.)

Bene moritur, quisquis moritur, cum lucrum facit. (Euripides.)

Post mortem non opuscula sed opera pensanda meminerimus. (Plutar.)

(Seneca.) *Non viuere bonum est,*

sed

ſed bene viuere. Et; *quid eſt noui, hominem mori, cuius tota vita nihil eſt aliud, quam ad mortem iter* : Et *Quiſquis ad vitam editur, ad mortem deſtinatur*.

Illi mors grauis incubat, qui notus nimis omnibus, ignotus moritur ſibi. (Sen.Trag.)

(Seneca.) *Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc cum creſcimus, vita decreſcit, & hunc ipſum, quem agimus, diem, cum morte diuidimus*, Et: *Vir fortis & Sapiens non debet fugere ex vita ſed exire*. Et; *Quidquid egeris, tunc apparebit, cum animam ages*: Et; *Omnes eadem conditio reuinxit, cui naſci contingit, mori reſtat, interuallis diſtinguimur, exitu æquamur*.

Commorandi nobis diuerſorium natura non manendi dedit.

Ex vita diſcedendum eſt tamquam ex hoſpitio non ex domo. (Cicero.)

(Senec.) *Mihi nec diuturnum videtur illud, in quo eſt extremum*. Et: *Veſtra, quæ dicitur vita, Mors eſt*.

Nunquam bono quidquam mali *eue-*

euenire poteſt, nec viuo, nec mortuo.

Iuſtus mortem cauet non pauet. (Bernhard.)

Non poteſt male mori, qui bene vixerit. (Aug.)

Compendium eſt male agentibus, ſi cito moriantur. (Ambroſ.)

Inopi quanto longior vita, tanto plus ſupplicij. (Tacit.)

Tota vita hominis vnus eſt dies. (Fabius.)

Non eſt vllum maius ſolatium mortis, quam ipſa mortalitas. (Seneca.)

Mala mors putanda non eſt, quam bona vita præceſſit (Aug.)

Mors vitæ eſt teſtimonium.) Ambroſius.)

Cui peregrinatio dulcis eſt, non amat Patriam. (Auguſt.)

Non domus eſt hoc corpus, ſed Hoſpitium & quidem breue hoſpitium, quod relinquendum eſt, vbi te grauem eſſe hoſpiti videas. (Seneca.)

Sicut mali naſcuntur, vt moriantur, ſic boni moriuntur, vt viuant. (Gueuar.)

Vir bonus, etiamſi moriatur, uiuit; uir malus etiamſi uiuit, moritur. (Idem.)

Mun-

Mundus est taberna fortunæ, in qua omne mercimonij genus suspectum est. Et: *In Fortunæ nundinis nihil nisi mendacia venduntur, nihil nisi nostræ vitæ stipe soluitur, nihil ad pondus & mensuram datur.* (Idem.)

Viri Sapientes magis duos vitæ huius dies felices, quam ducentos fortunæ aduersæ formidant. (Idem l.3.c.44.) Et

Non minus egent consilio felices in rebus secundis, quàm auxilio miseri in rebus aduersis. Et

Maximum ultionis genus, quo inimicos nostros afficimus, est, ut eos diu viuere sinamus. (lib.3.c.51.) Et

Mors est verum perfugium, perfecta sanitas, portus securus, integra Victoria, caro sine osse, piscis sine spina, frumentum sine paleis. Et

Vita innocens mortem reddit securam. Et: *Immoderatum in vita risum, largus in morte ploratus sequitur.* (l.3.c.53.)

Quod Phœnix inter aues, hoc filius inter homines, qui Patris mortem non exoptet. (Idem.)

Diuitiæ, Adolescentia, Solitudo,

Li-

Liberias, sunt quatuor pestes, quæ viuos occidunt, mortuos infamant. (Idem l.3. c.55.) Et

Pauper, vt requiescat, moritur, Diues, vt crucietur. (capit. 56.) Et

Soli felices appellandi sunt, qui ex hac vita Deo chari & hominibus non inuisi discedunt. Et

Germanus & minimè ingratus filius, quo die Patrem in tumulum durum miserit, eo ipso die illum sepelire in tenero corde debet. (l.3. c.59.)

Ita viuere hominem oporteret, ac si post horam ei esset migrandum. (Lactan.l.7.)

Difficile est tacere cum doleas. (Cicero.)

Loquacissima rei est homo infelix. (Philos.)

Non ij optimè vixerunt, qui diutissimè, sed qui modestissime. (Varro.)

Quo facilius obrepat mors, sub ipso vitæ nomine latet. (Seneca.)

Qui est hodie, in eum, qui cras erit, morietur; & qui heri fuit, in eum, qui hodie est mortuus est, (Plutarc.)

Vita

Vita Comędia est, cuius Epilogus Mors est.

Vita Græcis Comœdo Tragædia est, nam mista habet latis tristia: Porphyrius. Matrimonium etiam sic appellauit.

Quomodo fabula sic vita; non quamdiu, sed quam bene acta refert. (Seneca)

Congenita sunt sibi prorsus; vita & dolor. (Philemon.)

Vitæ humanæ accinitur perpetuò cantilena, Eja, Eheu! (Plutar. ex Aristoph.)

Ad majora natus sum, quam *vt terræ seruiam.* (Philosoph.)

APOPHTHEGMATA.

Clemens Alexandrinus hominem esse Citharam dixit; (In orat. contra gent.) Pulchrè, nam sicut Cithara è varijs chordis, ita homo ex corpore & anima, opibus, honoribus, compingitur; ex quibus tamen omnibus vna harmonia fit in laudem Dei, Patriæ, sui; Rumpitur hęc cithara dolore & morte. *Homo Cithara.*

Braxillus moriturus

Braxillus Philosophus moriturus ob quatuor cum à senatu frequenti visitaretur lætatur.

&

& deploraretur; propter quatuor se lætari dicebat; Primo propter bonæ conscientiæ testimonium. Secundo, quod tantos viros suam mortem lugere videret. Tertio, quod 60. annis Reipub. & alijs prodesse studuerit. Quarto quod cultum, quem debuit alijs, præstiterit semper, deniq; subiunxit; Ergo mihi hodie vitam exordiri videor. (Diogenes Laertius in vit. Phil.)

Mundus ruina. *Isidorus Pellusiot. vocabat Mundum perpetuam ruinarum ruinam.* (Macrob. Saturnal. l.2.c.21.) Allusit puto ad Ethnicorum veterum consuetudinem, qui Deum suum non in forma humana depingebãt sed in forma baculi simplicis, appellabantque hoc Idolum; *Iupiter Tigillus*, seu *Fulciens Dominus*. quasi humana omnia ad interitum ruentia fulcire Dei munus continuum sit.

Iupiter tigillus.

Iupiter Stator. Huc pertinet, quod *Romulus Iouis effigiem in Capitolio* posuerit; cum titulo: *Iupiter stator;* (Diodorus Siculus.) in manu baculum hic *Iupiter* habebat, vt eo fulciret *Nouam Romam;* sed *Sempronius Consul ibidem iussit Vulcanum locare, quasi diuidentem Iouis baculum in*

ba.

aculos minores pro alijs Dijs ver. *t. in sceptrum pro Plutone; in tridentem pro Neptuno; in clauam pro Marte; in caduceum pro Mercurio, & lēma adscripsit*; ET VOS FVLCIVNTO. Quasi diceret, vos minores Dij, id est, vos Domini, terreni Principes, Magnates, simul cum Deo fulcite ruentem mundum. Nam sceptra vestra participant à Sceptro Dei.

Adde hic, quod in *Italia* alicubi in Templo depictus sit *mundus rotundus, quem duodecim baculi sustentant*. Lemma subscriptum est: *Prædicatio Euangelij*, ac si duodecim Apostoli verbis suis velut baculis teneant orbem.

Aurelius Imperator moriturus dixit: *Ex omnibus, quæ habui & possedi, duo tantùm habeo, nimirum quod Deum offendi, cruciatum, & dolorem, quod vitijs tempus impendi*; (Gueu. l. 3. c. 56.) *M. Aur.*

Secundus *Philosophus* interrogatus, quid esset, *Mors*, respondit; *Est Somnus æternus, dissolutio corporum, diuitum pauor, pauperum desiderium, ineuitabilis euentus, incerta peregrinatio, latro hominis, somni mater, vmbra vitæ, discessio viuorum,* *Mors quid sit?*

rum,

rum, omnium resolutio, laborum finis, cupiditatum clausula, improborum carnifex, bonorum præmium. (Idem l.3.c.51.)

Epamin. *Epaminondas, mortem fortium virorum otium esse dixit: improborum vero & ignauorum laborem.* (Lycosten.)

Plato. *Plato dicebat; Vita nostra sicut flamma stupæ à minimo vento extinguitur.*

Homo. *Homo est vas quassum & fragile, est corpus in omnem fortunæ contumeliam projectionum.* (Seneca.)

Alij dixerunt hominem esse calamitatis omnis hospitium.

Mors bona est laboris corona, felicitatis porta, vitæ ianua. (Bernh)

Mors. Philipp. *Philippus Maced. Rex* cum consuluisset Oraculum, quomodo posset senex fieri responsum accepit: *Vita quadrigas.* Quo audito primū edixit, ne vllus in regno suo quadrigis vteretur: Deinde cum Mōtem audiuisset esse, nomine *Quadrigam* eam suffodit & euertit. Sed *Pausanias* in capulo gladij, quo eum occidit, quadrigam habuit cælatam. (Val. Max. l. 1. cap. 8. Ext. n. 9.)

Dicerem ego: si vis ad Maturi-

ta-

tatem peruenire, *vita quadrigas* sed *Veneris*. *Venus* quippe, *iuxta Poetarum opiniones quatuor Cygnis vehitur*; & secundum *Bernhard.* Luxuriæ currus quadriga voluitur vitiorum: *Inglunie ventris; in honestate sodalium, mollitie vestium, otij superisque resolutione*.

Venus quatuor cygnis vehitur.

Quæsitus quidam olim, quid mallet, an esse *Crœsus diues*, an *Socrates sapiens*; respondit: *In vita Crœsus, in morte Socrates.* (Bossęus in concion.)

Crœsus Socrates.

Quæsitus olim *Gorgias Leontinus, Orator* iam senex, an mortem æquo animo ferret, si è vita vocaretur, respondit: *Ex putri & defluẽte domuncula non inuitus discedo.* (Lycost.)

Gorgias Leontin. Ortaor.

Seuerus Imperator viuo sibi *loculum* parari iussit, cui se interdum includens sic illum alloquebatur: *tu, locule virum capies, quem Orbis non capit.* (Xiphilin.)

Seuerus.

Religiosi quidam in Turcia incedunt per plateas portantes *specula*; porriguntque obuijs & dicunt: *inspice, & vide quis sis.* (Annales Turcicæ.)

Religiosi Turcici.

Zeno. *Zeno Philosophus* cum ab *Apollinis Oraculo* sciscitaretur, quomodo posset vitam bene agere? respõsum accepit, *mortuos consule, & ab ijs, quid sit faciendum, disce.* (Laertius l. 1.)

Antisthene. *Anthistenes* à discipulis quæsitus, quid esset *Mors*, *duos Circulos fecit*, *& hoc esse mortem affirmavit*: Interpretati sunt illi, vnum circulum esse corpus, quod ducitur, vnde incepit, nempe ad terrã; alium circulum esse animam, quæ etiam suum terminum quærit. (Idem.)

Nabathei Reges infimo sepul. *Nabathæi Reges non in Mausoleis, sed infimo sepeliebantur*, nec aliud sibi occini præter hęc verba voluerunt: *Puluis pulueri, fimus fimo traditur.* (Reinerus.)

Scythæ. *Iidem Reges ante pectus loco signaculi mortem gestabant*, cum inscriptione: *Mater bonorum, Nouerca malorum.* (Reinerus.)

Apud Scythias in coronatione Regis spargitur terra & cinis, & simul hæc verba dicuntur : *Hæc tua est origo, vide, ne quid superbe agas* (Idem.)

Medicæ. *Nicolaus Mediceus Princeps* cũ post multas expectationes filium

ac

cepisset, lacrumans in hæc verba prorupit: *Et tu fili ad ferendas huius seculi calamitates aduenisti.* (Idem.)

Iustinus Imperator iubebat sibi lectum conspergi puluere, & lacrumans dicebat: Ecce nunc in puluere dormiam, quoniam puluis sum & in puluerem conuertar. (Cedrenus.) *Iustinus.*

Apud Albanos, si masculus nascebatur, Adfines ei militaria munera offerebant cum his verbis: Armeris miser, quia ad Bellum, non ad otium venisti. (Crispinianus.) *Albani.*

Marcus Antonius Senator Romanus cum Pyramides Ægypti lustraret, ad suos dixit: Omnia tempus deuorat, omnia consumit, sola gloria laborum nostrorum cum tempore intercidere non potest: hæc vt æternum duret, vita est anteponenda. (Comineus.) *Marcus Antonius.*

Epaminondas Dux Thebanus accepto lethali vulnere, cū vniuersa ciuitas ad corpus eius afflueret, de præmio laborum rogatus dixit: *Nullum aliud volo, quam memoriā mei.* Sollicitè itidem quæsiuit, an Clypeus salutis superesset, & cum *Epaminōdas præmiū quale postulauerit.*

 super.

supereſſe audiuit, dixit; *nunc lætus morior hoc ſaluo, quo ſaluo lætus vixi: Epaminondas dux veſter, nunc viuere incipit, quia ſic moritur.* (Lycoſten.)

Democritus ſolaturus Dariũ tres poſtulat homines, qui lugubria nõ ſumpſiſſ.

Democritus Philoſophus mæſtum Darium Regem ob mortem coniugis ſolaturus; uitam defunctæ ſe reſtiturum promiſit, ſimodo tres illi hominex inuenirentur, qui nunquam lugubri ueſtitu uſi fuiſſent: quæſiti tres in tota Perſia, & non inuenti; tum ille ad Regem, uides Rex, quam ineuitabilis ſit omnibus fati neceſſitas; nefas eſt deflere, quod nefas eſt deuitare. (Idem: & Iulianus in Epiſt. ad Ameri.)

Ferdin. Rex.

Ferdinandus Rex Caſtell. ubi ab Iſidoro intellexit uicinam eſſe horam mortis: regio habitu indutus ad Templum conceſſit, ibique conſiſtens ad Altare, purpuram ſceptrum, coronam, torquem, annulum & omne regium ueſtimentum exuens depoſuit, dicens Domine! Regnum, quod a Te accepi, tibi reſtituo: colloca me in æterna luce: ſic mortuus ibidem. (Spondanus) *Ptolemæus Philadelphus Aegypti Rex inter me-*

dia

dias epulas mortui cranium semper habuit & à ministris hanc sibi uocem dici uoluit: inspice Rex, & cogita te talem aliquando futurum. (Plut. in conuiuiis Sapientum.) *Phil Philadelphus.*

Xenophonti sacrificium peragenti cum nunciatum esset, majorem natu filium occubuisse in prælio, coronam regiam primo deposuit, quæsiuitque, quonam modo occubuisset: ubi ergo audiuit fortissime pro Patria pugnantem occubuisse, reposuit capiti coronam, & testatus est, se uoluptate majori perfundi quam dolore. (Lycosten.) *Xenophō.*

Basilius Episcopus sibi viuus construxerat sepulcrum, sed imperfectum reliquit consulto: cum ergo profestis diebus episcopali pompa cogebatur uti, puerum destinauit, qui subinde occlamaret: Pater mortem cogita, & sepulcrum tuum perfici jube. (Marlia c. 6.) *Basilius.*

Lipsius decubiturus dicebat semper: ad Lectum ad Lethum. (Drexel.) *Lips.*

Carolus Magnus cum in extremo mortis articulo cōstitutus, à suis ro- *Carol. M.*

garetur, quanam insignia sepulcro affigi vellet, respondit; Sola Mortis insignia sculpantur, hæc est enim regina illa potens, quæ omnes meas victorias in nihilum redegit, & de meipso victore triumphum agit, hac adscriptione: Sola mors omnia æquat, (Gregor. Turo lib. Histor.)

Diogenes ab Alex. *Diogenes, Cynicus cum aliquãdo curiosius sepulcra inspiceret, vbi defunctorum ossa, cernebantur; Alexandrum M. obuiam habuit; & cum ille percunctaretur, quid inter mortuos ageret? in hac ossium congerie Patris tui Philippi caluariam quæro, sed à cæteris dignoscere non valeo*. (Laertius.)

Muson. *Musonius Philosophus interrogatus, quinam aptior modus ad diem vltimum feliciter claudendum, respondit; Viue, vt cras moriturus*. (Marl.c.26.)

HIEROGLYPHICA & Symbola.

Alphonsi Corona. *Alphonsus Arragonum Rex* in Symbolo dicitur habuisse *Coronam*; in cuius ambitu hæc inscri-

pto

pto exstitit: *Artifex cudit, Deus ludit, imponendo, deponendo*. In fronte coronę pomũ erat *Smaragdinum*: cum Lẽmate, *Aestate prodor; Autumno probor; Hyeme perdor*. Manus tenens in filo Orbis globum cum lemmate. *Tenui pendentia Filo*. (Tiporius.) *Pomum.* *Manus.*

Candela ardens *cum inscriptione : Dum alijs prosum, consumo*. *Candela.*

Brachmanni certis temporib. solent mittere vicinis regionibus arefacta folia cum his verbis: *Talis est vita hominum, qualis foliorum*, (Drexelius in prod. æter.) *Brachmã Folium.*

Iohannes Dux Cliuæ habuit in Symbolo lilium cum inscriptione ; *Hodie aliquid, cras nihil* (Tipocius.) Hinc in tumbis antiquorum exprimebantur lilia & rosæ. *Lilium.*

In sepulcris *Iuuenum* ac puerorum apud *Germanos* erat olim hęc Inscriptio per interrogationem & admirationem : *Et mortuus est*? In *Senum* verò Epitaphijs erat eadem cum periodo seu puncto : *Et Mortuus est*. (Drexel. in prod æ- tern.) *Germ. antiq sep. I. inscrip.*

Scipio. In Exequijs *Scipionis* celeberrimi Marſalci Galliæ, ante tumbam caduceum prætulerunt, è cuius manubrio *tria lilia* pullulabant, vtpote *ſtemma Galliæ* per medium verò caducei erat inſcriptio hæc: *Non generet tantum ſedore & re Scipio*. (Tomacher.)

Caluariæ duæ. Duæ caluariæ iacent, vna inter ſceptra & coronas alias inter ligones & raſtra; inſcriptio: *His diſcerne Regem à Ruſtico*. (Sond.)

Sol. *Perſæ* in tumbis ſculpebant *Solem*, cum lemmate: *Orietur*.

Phœnix. *Antiqui Aegiptij* Phœnicem in ſepulcro poſt fata ſuperſtitiem ſculpebant, cum lemmate: *Euolabit*.

Athen. *Athenienſes* in monumentis ſcribebant ciphras multas, cum lemmate: *Ignorans*.

Auis quæpiã reperiri dicitur, quę vno duntaxat die viuit, mane naſcitur, veſpere moritur: Interea verò aliarum auium nidos peruolitat & ſingularum voces ac cãtus addiſcit, canique iam vt *Turdus*, iam vt *Philomela*, &c. Hæc auis Symbolum ſolet eſſe hominis cito mo-

morientis cum inſcriptione: *Non diu ſed ſatis.*

Alexand. M. de ſe dicere ſolebat, *vixi ſatis, quia non annos ſed triumphos numero; metior me non ætate, ſed perennitate.* *Alex. M.*

In monumento *Pauſaniæ* depicti erant canes multi ſequentes feras diuerſi generis per campos & ſyluas, Lemma: *Venatio.* Nempe vita hominis venatio eſt, & ſæpe dum capere volumus, capimur. (Ciri. ca.) *Pauſaniæ monumēt.* *Vita hominis venatio.*

In *Orphei* ſepulcro inſcripta erat hæc unica vox: *Luſit.* (Marl.) *Orpheus.*

In monumento cuiuſdam Eleemoſynarij ſcriptum fuit hoc Epitaphium: *quod dedi Habeo, perdidi quod ſeruaui.* *Epitaphiū*

Aegiptij inter conuiuia mortui caput circumferunt, & conuiuatoribus oſtendendo dicunt: *Comedite tales futuri.* (Plutar.) *Aegyptij.*

Habuit quiſpiam ampullatus homo ex ſuperbia potius, quàm ex ſcientia pro Symbolo, in ſtemmate hanc unicam voculam, *Omnia:* Cui obliquè tumorem caſtigando quiſpiam adſcripſit literam S. *Elati cuiuſdam Symbolū.*

ante O. & legenda fuit vox *Somnia*. O benè humana *Omnia* sunt *Somnia*!

Anguilla fragil hum. Symbol. Ægyptij notaturi eum, qui reb. huius vitæ fideret, spemque suam in fragili poneret: *hominem manu anguillam tenentem pingebant*; Nam mundana instar anguillæ elabuntur è manibus, nec teneri possunt. (Pierius.)

Hom. vita *Alij vitam hominis notaturi nauis inst. uem pingebant, cuius clarum Deus gubernaret.*

Isabellæ Symbolū. *Isabella Arragonia Regina* in Symbolo habuit duos flosculos, vnus vocabatur *Selenitropos*, id est, Flos Lunæ: Alter *Heliotropos*, id est Flos Solis cum lemmate: *Sequor & æternum specto.* (Brisson.)

Mel mortis, sed vitæ, Symbol. (Rodigin. l. 28.) *Mortis Symbolum olim mel fuit, vitæ vero fel.* Nimirum sicut apis, est homo, & dum viuit ex floribus virtutum mel æternitatis colligit.

Mortis Templū. *Spartani Templum Deæ Morti ex candido marmore exstruxerunt, in cuius postibus scriptum erat: Morti Matri perennis felicitatis.*

tis (Pausanias .)

Leonidis ossa in mausoleũ sunt translata, cum inscriptione: *Speculum bene meritorium de patria*. (Idem)   *Leonidis ossa.*

Clotarius Imperator tres Philosophos, quos à consilijs habuit, interrogauit, quo modo posset vita humana optimè exprimi: respondit horum *Primus*; *pingendum esse florem Caryophylli Indici qui licet honore & odore cæteris præcellat, si eum tamen Testudo subintrauerit, statim arescit: cum inscriptione. Tales opes momento pereunt.*   *Clotarij Imperato ria tribus Philosoph. uita hum. æquiparata Caryophyllo.*

Secundus suasit pingendum Phœnicem, qui cum ob plumarum pulchritudinem aues sibi sciat insidiari, noctu & interdiu uolitat, nec tamen manus aucupis aufugit; cum inscriptione: tantorum laborum stipendium, Mors. Tertius suasit, hominem pingi in mari naufragantem, supra uero in nubibus Aquilam & Anchoram, cum Lemmate: Domine ad Te sunt oculi nostri.   *Phœnici. Et Naufraganti.*

In *Caroli V.* sceptro stabat masculus manu tabellam tenens, cum lẽmate: *Sto*: infra vero mure eius   *Sceptrum Caroli V.*

Zeno. *Zeno Philoſophus* cum ab *Apollinis Oraculo* ſciſcitaretur, quomodo poſſet vitam bene agere? reſpōſum accepit, *mortuos conſule, & ab iis, quid ſit faciendum, diſce.* (Laertius l. 1.)

Antiſthene. *Anthiſtenes* à diſcipulis quæſitus, quid eſſet *Mors, duos Circulos fecit, & hoc eſſe mortem affirmauit*: Interpretati ſunt illi, vnum circulum eſſe corpus, quod ducitur, vnde incepit, nempe ad terrā; alium circulum eſſe animam, quæ etiam ſuum terminum quærit. (Idem.)

Nabathei Reges infimo ſepul. *Nabathæi Reges non in Mauſoleis, ſed infimo ſepeliebantur*, nec aliud ſibi occini præter hęc verba voluerunt: *Puluis pulueri, fimus fimo traditur.* (Reinerus.)

Scythæ. *Iidem Reges ante pectus loco ſignaculi mortem geſtabant*, cum inſcriptione: *Mater bonorum, Nouerca malorum.* (Reinerus.)

Apud Scythias in coronatione Regis ſpargitur terra & cinis, & ſimul hæc verba dicuntur : Hæc tua eſt origo, vide, ne quid ſuperbe agas (Idem.)

Medicæ⁹. *Nicolaus Medicæus Princeps* ci poſt multas expectationes filium

ac

acceppisset, lacrumans in hæc verba prorupit: *Et tu fili ad ferendas huius seculi calamitates aduenisti.* (Idem.)

Iustinus Imperator iubebat sibi lectum conspergi puluere, & lacrumans dicebat: Ecce nunc in puluere dormiam, quoniam puluis sum & in puluerem conuertar. (Cedrenus.) *Iustinus.*

Apud Albanos, si masculus nascebatur, Adfines ei militaria munera offerebant cum his verbis: Armeris miser, quia ad Bellum, non ad otium venisti. (Crispinianus.) *Albani.*

Marcus Antonius Senator Romanus cum Pyramides Ægypti lustraret, ad suos dixit: Omnia tempus deuorat, omnia consumit, sola gloria laborum nostrorum cum tempore intercidere non potest: hæc vt æternum duret, vita est anteponenda. (Comineus.) *Marcus Antonius.*

Epaminondas Dux Thebanus accepto lethali vulnere, cũ vniuersa ciuitas ad corpus eius afflueret, de præmio laborum rogatus dixit: *Nullum aliud volo, quam memoriã mei.* Sollicitè itidem quæsiuit, an Clypeus saluus superesset, & cum *Epaminõdas præmiũ quale postulauerit.*

superesse audiuit, dixit; *nunc lætus morior hoc saluo, quo saluo lætus vixi: Epaminondas dux vester, nunc viuere incipit, quia sic moritur.* (Lycosten.)

Democritus solaturus Darium tres postulat homines, qui lugubria nō sumpsiss.

Democritus Philosophus mæstum Darium Regem ob mortem coniugis solaturus; uitam defunctæ se restiturum promisit, simodo tres illi hominex inuenirentur, qui nunquam lugubri uestitu usi fuissent: quesiti tres in tota Persia, & non inuenti; tum ille ad Regem, uides o Rex, quam ineuitabilis sit omnibus fati necessitas; nefas est deflere, quod nefas est deuitare. (Idem: & Iulianus in Epist. ad Ameri.)

Ferdin. Rex.

Ferdinandus Rex Castell. ubi ab Isidoro intellexit uicinam esse horam mortis: regio habitu indutus ad Templum concessit, ibique consistens ad Altare, purpuram, sceptrum, coronam, torquem, annulum & omne regium uestimentum exuens deposuit, dicens: Domine! Regnum, quod a Te accepi, tibi restituo: colloca me in eterna luce: sic mortuus ibidem. (Spondanus) *Ptolemæus Philadelphus Aegypti Rex inter me*

dias

dias epulas mortui cranium semper habuit & à ministris hanc sibi uocem dici uoluit: inspice Rex, & cogita te talem aliquando futurum. (Plut. in conuiuiis Sapientum.) Phil Phi. ladelphus.

Xenophonti sacrificium peragenti cum nunciatum esset, majorem natu filium occubuisse in prælio, coronam regiam primo deposuit, quæsiuitque, quonam modo occubuisset: ubi ergo audiuit fortissime pro Patria pugnantem occubuisse, reposuit capiti coronam, & testatus est, se uoluptate majori perfundi quam dolore. (Lycosten.) Xenophō.

Basilius Episcopus sibi uiuus construxerat sepulcrum, sed imperfectum reliquit consulto: cum ergo profestis diebus episcopali pompa cogebatur uti, puerum destinauit, qui subinde occlamaret: Pater mortem cogita, & sepulcrum tuum perfici jube. (Marlia c. 6.) Basilius.

Lipsius decubiturus dicebat semper: ad Lectum ad Lethum. (Drexel.) Lips.

Carolus Magnus cum in extremo mortis articulo cõstitutus, à suis ro- Carol. M.

garetur, quanam insignia sepulcro affigi vellet, respondit; Sola Mortis insignia sculpantur, hæc est enim regina illa potens, quæ omnes meas victorias in nihilum redegit, & de meipso victore triumphum agit, hac adscriptione: Sola mors omnia æquat; (Gregor. Turo lib.Histor.)

Diogenes ab Alex. *Diogenes, Cynicus cum aliquãdo curiosius sepulcra inspiceret, vbi defunctorum ossa, cernebantur, Alexandrum M. obuiam habuit, & cum ille percunctaretur, quid inter mortuos ageret? in hac ossium congerie Patris tui Philippi caluariam quæro, sed à cæteris dignoscere non valeo.* (Laertius.)

Muson. *Musonius Philosophus interrogatus, quinam aptior modus ad diem vltimum feliciter claudendum, respondit; Viue, vt cras moriturus.* (Marl.c.26.)

HIEROGLYPHICA & Symbola.

Alphonsi Corona. *Alphonsus Arragonum Rex* in Symbolo dicitur habuisse *Coronam*; in cuius ambitu hæc inscri-

pto

pto exstitit: *Artifex cudit, Deus ludit, imponendo, deponendo.* In frōte coronę *pomū erat Smaragdinum:* cum Lēmate, *Aestate prodor; Autumno probor; Hyeme perdor.* *Pomum.*
Manus tenens in filo Orbis globum cum lemmate. *Tenui pendentia Filo.* (Tiporius.) *Manus.*

Candela ardens *cum inscriptione: Dum alijs prosum, consumo.* *Candela.*

Brachmanni certis temporib. solent mittere vicinis regionibus arefacta folia cum his verbis: *Talis est vita hominum, qualis foliorum,* (Drexelius in prod. ætern.) *Brachmā Folium.*

Iohannes Dux Cliuæ habuit in Symbolo lilium cum inscriptione; *Hodie aliquid, cras nihil* (Tipocius.) Hinc in tumbis antiquorum exprimebantur lilia & rosæ. *Lilium.*

In sepulcris *Iuuenum* ac puerorum apud *Germanos* erat olim hęc Inscriptio per interrogationem & admirationem: *Et mortuus est?* In *Senum* verò Epitaphijs erat eadem cum periodo seu puncto: *Et Mortuus est.* (Drexel. in prod. ætern.) *Germ. antiq sep: I. inscrip.*

Scipio. In Exequijs *Scipionis* celeberrimi Marsalci Galliæ, ante tumbam caduceum prætulerunt, è cuius manubrio *tria lilia* pullulabant, vtpote *stemma Galliæ* per medium verò caducei erat inscriptio hæc: *Non generet tantum sedore & re Scipio*. (Tomacher.)

Caluaria duæ. Duæ caluariæ iacent, vna inter sceptra & coronas alias inter ligones & rastra; inscriptio: *His discerne Regem à Rustico*. (Sond.)

Sol. *Persæ* in tumbis sculpebant *Solem*, cum lemmate: *Orietur*.

Phœnix. *Antiqui Aegiptij* Phœnicem in sepulcro post fata superstitiem sculpebant, cum lemmate: *Euolabit*.

Athen. *Athenienses* in monumentis scribebant ciphras multas, cum lemmate: *Ignorans*.

Auis quæpiã reperiri dicitur, quę vno duntaxat die viuit, mane nascitur, vespere moritur: Interea verò aliarum auium nidos peruolitat & singularum voces ac cãtus addiscit, canique iam vt *Turdus*, iam vt *Philomela*, &c. Hæc auis Symbolum solet esse hominis cito mo-

moríentis cum inſcriptione: *Non diu ſed ſatis.*

Alexand.M. de ſe dicere ſolebat, *vixi ſatis, quia non annos ſed triumphos numero; metior me non ætate ſed perennitate.* *Alex.M.*

In monumento *Pauſaniæ* depicti erant canes multi ſequentes feras diuerſi generis per campos & ſyluas, Lemma: *Venatio.* Nempe vita hominis venatio eſt, & ſæpe dum capere volumus, capimur. (Ciri. ca.) *Pauſaniæ monumẽt.* *Vita hominis venatio.*

In *Orphei* ſepulcro inſcripta erat hæc unica vox: *Luſit.* (Marl.) *Orpheus.*

In monumento cuiuſdam Eleemoſynarij ſcriptum fuit hoc Epitaphium: *quod dedi Habeo, perdidi quod ſeruaui.* *Epitaphiũ*

Aegiptij inter conuiuia mortui caput circumferunt, & conuiuatoribus oſtendendo dicunt: *Comedite tales futuri.* (Plutar.) *Aegyptij.*

Habuit quiſpiam ampullatus homo ex ſuperbia potius, quàm ex ſcientia pro Symbolo, in ſtemmate hanc unicam voculam, *Omnia:* Cui obliquè tumorem caſtigando quiſpiam adſcripſit literam. S. *Elati cuiuſdam Symbolũ.*

ante O. & legenda fuit vox *Somnia*. O benè humana *Omnia* sunt *Somnia!*

Anguilla fragil hum. Symbol. *Ægyptij* notaturi eum, qui reb. huius vitæ fideret, spemque suam in fragili poneret: *hominem manu anguillam tenentem pingebant*; Nam mundana instar anguillæ elabuntur è manibus, nec teneri possunt. (Pierius.)

Hom. vita *Alij vitam hominis notaturi nauis inst.uem pingebant, cuius clarum Deus gubernaret.*

Isabellæ Symbolū. *Isabella Arragoniæ Regina* in Symbolo habuit duos flosculos, vnus vocabatur *Selenitropos*, id est, Flos Lunæ: Alter *Heliotropos*, id est Flos Solis cum lemmate: *Sequor & æternum specto.* (Brisson.)

Mel mortis, sed vitæ, Symbol. (Rodigin. l. 28.) *Mortis Symbolum olim mel fuit, vitæ vero fel.* Nimirum sicut apis, est homo, & dum viuit ex floribus virtutum mel æternitatis colligit.

Mortis Templū. *Spartani Templum Deæ Morti ex candido marmore exstruxerunt, in cuius postibus scriptum erat: Morti Matri perennis felicitatis.*

tis (Pausanias .)

Leonidis ossa in mausoleū sunt translata, cum inscriptione: *Speculum bene meritorum de patria*. (Idem.) *Leonidis ossa.*

Clotarius Imperator tres Philosophos, quos à consilijs habuit, interrogauit, quo modo posset vita humana optimè exprimi: respondit horum *Primus* ; *pingendum esse florem Caryophylli Indici qui licet honore & odore ceteris praecellat, si eum tamen Testudo subintrauerit, statim arescit: cum inscriptione. Tales opes momento pereunt.* *Clotarii Imperatoria tribus Philosoph. uita hum. aequiparata Caryophylle.*

Secundus suasit pingendum Phoenicem, qui cum ob plumarum pulchritudinem aues sibi sciat insidiari, noctu & interdiu uolitat, nec tamen manus aucupis aufugit; cum inscriptione : tantorum laborum stipendium, Mors. Tertius suasit, hominem pingi in mari naufragantem, supra uero in nubibus Aquilam & Anchoram, cum Lemmate: Domine ad Te sunt oculi nostri. *Phoenici. Et Naufraganti.*

In *Caroli V.* sceptro stabat masculus manu tabellam tenens, cum lēmate: *Sto*: infra vero mure eius *Sceptrum Caroli V.*

plantas arrodebant cum inſcriptio ne: *Iacebis*. Idem Imperator dicitur annulum habuiſſe cum horologio, in quo carbunculus inſtar indicis horas indicabat: bicolor autem fuit hic carbunculus, & lucida parte diem, nigra noctem denotabat. Lemma fuit: *Vertimur*, id eſt, Carbunculus in carbonem.

Henrici Galliæ Regis uitæ adonnatio. *Henricus Rex Galliæ* ſic vitam ſuam ordinauerat; *Octo horas legebat: octo orabat: octo dabat corpori & Reipublicæ*: Sedenti ad Menſam *tres Orbes* apponebantur, in primo orbe *Crucifixus*; cum lemmate; *Cibus cordis*; in ſecundo *Liber*, cum lemmate; *Cibus mentis*: in tertio panis, cum lemmate; *Cibus uentris*: ſupra menſam ex tholo pendebat *Alauda*, cum inſcriptione, *Cælum cane, terram tace*. Loco horologii vtebatur *candela*, quæ viginti quatuor lineis diſtincta, viginti quatuor horas diei ac noctis continuo ardens indicabat. (Annales Gall.)

Alauda. *Aduerte hic*, quod *Alauda* cum in terra ſedet, tacet, cum uolat in altum, canit. Vnde bene ille, *Deum lauda*,

lauda, non ſicut Alauda, à terra te eleuaſi; Deum laudare cœpiſti, ad terram redire noli vt Alauda redit, iuſtorum enim via creſcit non decreſcit. (Caſſiodorus.)

Vrbis Pariſienſis inſigne *Salamandra*, nimirum in medio flammarum, appoſita hac nota; *Circumdor, ſed non vror*. (Marlian.) *Salamandra.*

Struthio aſpiciendo oua fouet: cui appoſitè Academicum? *Ex viſu Salus*. (Idem c. 6.) *Struthio.*

Iulianus Imperator gerebat in ſtemmate regio *Aquilam* ſagitta percuſſam, quæ confecta fuit ex eiuſdem plumis addita notula: *ex ipſa contra ipſam*: id eſt, ab ipſa naſcitur, quod illam perimit. Ita Mors ex peccato, at memoria mortis occidit peccatum, vnde merito dici poteſt; *Ex ipſo contra ipſum*. *Iulianus.*

Pulchrum etiam Symbolum humanæ vitæ poteſt eſſe Lapis ille pretioſus, quem, *Authore Dorotheo*, Angelus dedit Alexandro Magn. Paradiſum ingredi quærenti; hic enim lapis omnes alios pretioſos in bilance ſuperabat, etiam ſimul poſitos. Con- *Lapis Alex. M. datus.*

ſper.

ſperius vero puluere minimo, minima pluma leuior fuit: Hunc lapidem puluere obſitum in Symbolo habuit *Alphonſus Arragoniæ Rex*, cum Lemmate; *in puluere non Rex*.

Al. M. tumulus. In *Alexandri M.* tumulo fuit Aſia & Africa ligata catenis, cum Lemmate; *Victoria Alexandri*.

Exempla & reliqua Supellex.

Noctis filij ſumnus & Mors. *Olympiæ* viſa eſt Nox in figura & habitu muliebri, quæ puerum album dormientem dextera tenebat, & ſiniſtra nigrum dormienti ſimilem. Primus appellabatur *Somnus*; Alter *Mors*, vterque *Noctis* filius (Pauſanias.)

Hiſpani. Apud *Hiſpanos* mos fuit, tot haſtas ſigere circa ſepulcra, quot hoſtes quis interfeciſſet. (Veridicus.)

Scythia. Apud *Scythas* qui victor fuiſſet in bello & viuus, debuit bibere ex *aureo Scypho*, & ſuper mortui ſepulcrum *aureus* appendebatur *Scyphus* (Idem.)

Regina Amalus. Reginam *Amalaſintam* ſic deſcripſit *Caſſiodorus*; *Si prudentem quæris, hæc fuit; ſi mortem nulli ceſſit; conſilio optima; religione nitens; prole beata; vbique chara;* Epita-

taphium ei tale fecit: *Casta vixit, lanam fecit domum seruauit.* (l. 1.)

Tessalia funeri Matris suæ cum adesse non posset, misit spongiam lacrumis plenam cum lemmate; *Corde & lacrumis prosequor.* (Appianus.) *Tessalia.*

Romani in medio foro statuam *Libitinæ* posuerant, vt transeuntes ementesque & vendentes mortis monerentur (Rosinus.) *Libitinæ statua.*

Sybaritæ, vt melius voluptatibus indulgerent, *plectebant eum morte, qui mortis mentionem fecisset.* (Socinus.) *Sybaritæ*

In Principatu *Tiberij* sub pœna capitali interdictum erat, mortuos deflere; ipse matres flentes super mortuis filijs conuictæ necabantur. (Tacitus libr. 5. annali.) *Mortuos deflere interdicti.*

In Coronationibus Imperatorum huiusmodi genus visitatum fuit, vt eo ipso die, quo capiti Corona, manibus sceptrum Imperiale imponebatur, egregius sepulcrorum fabricator, tres diuersos lapides, *Alabastrum, Iaspidem & Porphyrum* afferret, vt ex illis habito delectu, sepul- *Mos in coronatione quondam vsitatus.*

crum

crum construeretur, alta voce in. clamans. *Elige ab his, ex quo Augustissime Cæsar, ipse tibi tumulum, me fabricare velis*. (Claudius Parad.)

Philippus Maced. (Stobæus Serm. 19.) *Philippus Macedo* puerum habuit in Aula, huic tantum muneri destinatum, vt quotidie ad eum ingressus tale quid proferret: *Memorare, Rex, Te esse hominem; tunc Rex miseram conditionem considerans, tales è pectore effundebat voces; Heu me miserum, Homo sum, & proinde mortalis, ac in cinerem redigendus*. (Aelianus libr. 5. capit. 15.)

Aegyptij. *Aegyptij* dum *Genio* indulgerent, *Osirim* Regem in aurea tumba circumferebant. (Plutarchus.)

Domitianus. *Domitianus Imperator*, inuitatos ad conuiuium, in palatium nigro panno obductum induxit, vbi tantùm duæ ardebant candelæ, & quemlibet loco solij, in tumba collocauit: dicendo: *Viue Memor Lethi*. (Xiphilinus.)

Aetiopes. *Macrobij Aetiopiæ populi* defunctorum statuas, ex auro, vel Argento, vel ligno erigere solebant,

vt

vt ita memoria defunctorum, in Animis conseruaretur. His verò Statuis excauatis includebantur cineres defunctorum. Is autem, cui sanguine proximus defuncto fuit, eam statuam domum deferebat, & vitro pellucido includebat: Cæteri verò adfines, primitias frugum suarum, & alia plurima singulis annis offerebant. (Ctesias ap. Diod. Siculum.)

(Al. ab Alexandro l.3.) *Galatæ* superstitionem habuere, vt quamprimum exspirasset aliquis, *varias ad eum literas & scripta destinarent; quæ ipso sepulturæ die vna cum corpore cremabant*. Credebant literas à mortuis in alio mundo legi. *Galatæ.*

Lacedemonij, vt iuuentutem ad Maiorum imitationem accenderent: defunctorum Heroum imagines in ære vel marmore ad viuum exprimebant, in senatuque exponebant singulas cum suis elogijs, & hoc lemmate; *si fueritis sicut isti, eritis sicut isti*. (Bessæus) *Lacedæmonij.*

Ossa mortuorum diuitiæ.

Abrahamus Ortelius Cosmographus scribit, quandam gentem esse,

quæ ossa mortuorum loco nummorum habet, ijsque vtitur in emendis vendendisque rebus, loco auri & ea ossa loco diuitiarum habet.

Tyrannos ex ossibus organa fa bric. *Tyrannus* quispiam sibi ex ossibus mortuorum, organa fieri curauit, dicens; *Saltus Regum, mors hostium est.* (Binitus.)

Idem *Tyrannus* Capita occisorum in Arborum ramis horto suo delicato pomorum loco appendebat: in vestibulo autem horti scriptum erat: *Bellaria Martis.*

Vitæ breuitas. *Philosophus* quidam rogatus, vt suam de vitæ breuitate sententiam daret, *tacens in orbem se gyrauit.* (Phocylides.)

Symbolū vitæ humanæ. *Alter Philosophus, parumper subsistens, deinde se abscondit, & hoc esse optimum Symbolum humanæ vitæ dicebat.* (Lycosten.)

Cranium Niceph. Ex cranio *Nicephori Imperatoris* poculum formatum est. *Bulgarorumque proceribus ab ipsorum Principe deinde propinatum.* (Radetus in virid. Sancto.)

Romani. *Romani*, vbi animam ægrotus exhalare cœpit, qui proximiores erant

erant spiritum eius egredientem ore apposito excipiebant. (Rosin. lib.5.)

Apud eosdem *Cupressis* signabantur mortuorum domus, quia sicut hæc arbor excisa non renascitur, ita ex mortuo nihil iam sperandum est. (Idem.) *Cupressus Symbol. Mitros.*

(Rosinus.) Tubicines præcedebant funebrem pompam, qui canebant laudes & facta defunctorum; præferebantur etiam insignia honorum quos gessit, coronæque omnis generis quas meruit: præterea totius familiæ imagines in hastis & perticis portabantur; *Serui à defuncto libertate donati lacrumantes & pileati seu alba lana velantes capita præcedebant feretrum*; & hoc maximè honorificum fuit, familiam suam à defuncto honoratam fuisse. *Tubicines.*

(Idem.) apud eosdem *Romanos* Mos fuit, vt post exustum Cadauer *Persica* nouissimum verbum illud, altissima voce inclamaret: *Illicet; id est, ire licet iam domum*; quo dicto qui comitari funus erant, domum abituri *extremum Vale* sic ter occlamabant; *Mos apud Romanos post exustum cadauer.*

VA.

VALE, VALE, VALE! *nos te ordine, quo natura permiserit, sequemur.*

Episcopi Constantinopolitan. *Episcopi Constantinopolitani*, ita olim gratulabantur Imperatoribus. *Imperator oriaris, Imperator moriaris*, quæ verba etiam ab Imperatoribus inter geminas Diadematis circumquaque scripta portabantur.

Se verus. *Se verus Imperator* moriens, vltimo dixit; *Omnia fuit, sed nihil prodest.* (Aelius Spart.)

Philosop. lamentantes super Alexandri mortui corpus. Ad *Alexandri* mortui corpus plures philosophi confluxerunt, & super Regio funere lamẽtati sunt. Vnus dixit; *En modo quatuor vlnarum spatium ei satis est, cui spatiosissimus terrarum Orbis non sufficit.* Alter subiungit: *Heri potuit Alexander, quos voluit, à morte liberare; hodie seipsum non potest.* Tertius aureum tumulum contemplatus dixit: *Heri ex auro fecit thesaurum, iam mutatis vicibus thesaurum ex Alexandro facit aurum*; alij aliter sunt lamentati. (Petrus Alphons. apud Drexel.)

Car. Rex morti vicinus. *Carolus Rex Siciliæ* cum in vltimis esset, hæc locutus est: *O vanas hominum cogitationes, ah miseri honori-*

noribus delectamur & cœlum negligimus: Nondum cœpi viuere & iam cogor viuendi finem facere. Eadem me necessitas inuoluit, quæ vilissimum mendicum; Vale igitur terra vale! sed ab vtinam liceat dicere salue Cœlum! (Lucius Marin. de reb Hisp.)

(Busbequius de reb. Tur.) *Turcarum Imperatores*, cum quendam è *Bassis* suis & imperij proceribus perire volunt, literas ad eum sua manu scribunt, easque nigro holoserico obuoluunt: Harum literarum hæc semper est summa; *Mitte mihi tuum caput.* *Turcius Imperat.*

Pacuuius Syriæ præfectus hoc in more habuit, vt quotidie à cœna vino somnoque sepultus se infectum ferri à famulis iuberet, atque à flentibus occlamari; *Vixit! vixit!* (Causinus lib 4. Symbol.) Applica: Quod ille ex peruersa consuetudine faciebat, nos pio & laudabili Christianorum more, cum Domino N. facimus; reddimus illi vltimum obsequium, extulimus in lectum subterraneum, restatvt acclamemus: *Vixit;* nimirum *ad decus familiæ, Patriæ, Ecclesiæ, & gloriæ*, &c. *Pacuuius.*

Au-

Augustus *Augustus Imperator* supremo vitæ die vocatos ad se amicos percontatus est, ecquid videretur, an vitæ Mimum bene transegisset; cum illi respondissent, bene; subiecit ille *Ergo plausum date*. (Suetonius in August. 99.)

Moneta Heros dicta. (Trebellius.) Tempore *Seueri Imperatoris* reperta est *moneta*, quæ *Heros* dicta est, in qua mirabilis exsculpta fuit figura: *Caput Elephantis fuit, cum lemmate*; *Magnanimitas, Pectus Delphinum cum lemmate*; *Humanitas*, *Manus Castoris cum lemmate*: officiositas, *Pedes Vrsi cum lemmate*, Modestia. *Imago fuit Herois significans virtutes, quibus vitam suam ornare debet, vt laudi viuat immortali*.

Henricus Dux Bauariæ. (Græcerus) *Henrico Bauariæ Duci* apparuit quispiam in pariete scribens hæc verba; *Post Sex*, *Henricus* moriturum se existimans *post dies sex*, omni diligentia ad mortem se præparauit; est transactis *diebus sex* cum saluus existeret, post *sex hebdomadas* mortem imminere verebatur id. eoque rursus sua disponebat, sed

nec dum mortuus: quapropter post *menses sex*, vitæ finem forte ruminans denuo paratus quasi moriturus: sed & nunc euasit incolumis: certissimè itaque *post annos sex* moriturum se conclusit; Sed ecce *elapsis annis sex in Cæsarem eligitur*, & hoc ei Elogium adscribitur: *Seipsum singulis Senarys superabat, & post mortem identidem viuebat*.

(Henric. Spondanus.) *Philippus Rex Hispaniæ* moriens sic *Philippum III.* filium instruebat: *Tibi hoc assequutus fastigium, quod habui, huius etiam lecti, in quo me iam vides, memineris; hic, vt cernis, subsistit omnis Mundi gloria; sic viue, vt Regem non amittere se Regnum, sed commutare sentiat*. *Philippus Rex Hisp.*

Georgius Dux a fratre Eduardo Quarto Angliæ Rege ob suspicionem affectati Regni jussus est mori, data tamen est ei mortis optio. Ille suauissimam, inquit, *mortem eligo, labrumq; vino maluatico impleri præcepit, in quod se collocans sensim dulcissimum liquorem sorbendo se submersit*. (Drexel. Prodrom. cap. 3.) *Georgius Dux clarentia.*

In

Fons mirabilis efficaciæ. In *Insula* quapiam *Logucá* dicta, fons laudatur perennis & nobilissimus, cuius aqua epota, *senes iam mortuis vicini reiuuenescunt*; Quidam senex decrepitus eò se contulit amore vitæ lotus & potus est ibidem aliquot dies, resumpsitque robur virile & florens domum redijt vxorem iterum duxit & genuit filios. *Hunc senem dicit se vidisse Petrus Martyr.* (Eusebius Norimb. l. 6. c. 56.)

Mausol. *Artemisia Regina, Mausolo* marito celeberrimum monumentum estruxit, & à nomine viri *Mausoleum* vocauit; Cineres verò viri cum vino mixtos ebibit, ipsa viuum Mariti sui sepulchrum facta.

Sepultura triumphale. *Ludouicus Cortusius* Iurisconsultus Patauinus ad funus suum musicos 50. omnis generis conduxit; feretrum iussit ferri à 12. Virginibus viridi veste ornatis cum cantu læto & triumphali: centum funalibus stipantibus, comitante toto orbis clero & monachis omnibus, exceptis nigris, ne tristitiæ color lætitiam funeris funestaret, lacrymari testamento prohibuit. (Drexel. in prodrom.)

Me-

Menandro optimo Regi Bractorũ in Castris mortuo honorificè in ciuitatibus omnibus parentatum est: de reliquijs ipsius vehementer pugnatum est, & vix hac conditione pax stetit, vt singulæ ciuitates parte æquali cinerum eius ablata, monumentum ei statuerent. (Plutar.) *Menander Ren Bactrorũ*

Dionysij Vxor & liberi contumelia prius affecti, necati sunt & cineres eorum in mare dissipati. Plutar.) *Dionisÿ Vxor & liberi.*

Hieronymus (Epistol. 11. ad Geront.) scribit, se vidisse duos coniuges, virum quidem, qui viginti sepeliuisset Vxores; fœminam verò, quæ viginti duobus superstes fuisset viris; & hos matrimonium denique secum iniuisse. Expectabant homines auidissimè, quis horum prius moreretur, sed mortua primò fœmina est, ergò maritus a populo totius vrbis coronatus est, palmamque ferens manu, laureatus ante feretrum & omnem populum ibat, dum vxorem terræ commendaret. *Philippus Macedo* moriens ad Proceres flẽtes, & adstantes dixit hæc solandi ergo: *Non morior, quia Ale-* *Duo coniuges.* *Philippus Rex Macedoniæ.*

xandrum, in quo viuam, in terra relinquo. (Plutarch.)

Eduar. IV. Ang. Rex. *Eduardus IV. Rex Angliæ* moriens, cum ei Cancellarius dixisset an non doleret, quod tam splendida palatia & possessiones relinquere deberet; respondit, ostendendo filios: *Ista pignora erunt mihi eburnea palatia, in quibus habitabo, quoad stabunt: & possessiones meæ erunt, ex quibus sine vllo tam labore percipiam fructum*. (Annales Angl.)

Hippocratis Ara. *Hippocrati* Aram statuerunt Antiqui; cum inscriptione *Deo vitæ*.

Galenus Morborũ Imperat. Cum *Galenus* à quodam morbo lethali *Antoninum Pium* liberasset in quo depellendo Cæsar duodecim gemmas hausit, quæ nouem millionibus cõstabant Imperator medico suum diadema dono dedit, dicens: *Antonius Imperator Romanorum Galenus Morborum*. (Lampridius.)

Vita auis. *Maria Vngariæ Regina* habuit auiculam, nomine *Vita*, quæ eius moris est, à quo oculos auertit, signum est illum breui moriturum: quem verò hilariter intuetur, ei vitam longiorem promittit; Huius

ius ergo auiculæ oculum hæc Regina in annulo habuit, cum inscriptione: *Non gemma sed Vita.* (Binetus.)

Athenienses Regibus suis sic precabantur vitam. Vince hostes armis, ciues animis, coruos annis. (Ep. varia r. historiar.) *Athen.*

Lacedæmones sic: Dent Tibi Dei largam manum, longam fidem, longam vitem. (Ibidem.) *Laced.*

Veneti sic: Princeps esto tot annorum, quot subditorum. (Ibidem.) *Veneti.*

Clementi VIII. Pontifici Romano ab initio Papatus obtulit quidam Horologium cum inscriptione: SEMPER PRIMA NVNQVAM VLTIMA. (Binetus.) *Horol.*

Franci recens creatis Regibus offerebant formicam, in qua scriptum. SEMPER SVPERSTES. (Epitom var. hist.) *Franci.*

Lacones sic gratulabantur suis Ducibus, pelle mortem, pelle morbum. (Ibid.) *Lacones.*

In Terra Saracinorum Auicula nomine Soroactes hæc duo propria habet: primò, quod à Dominica Passionis ad Pascha ne cantet nec

volitet, sed veluti mortua extensis in crucem alis ad ramos arborum pendeat; secundo, quod sub tempus Ecclipsis Lunæ cor ei obrigescat & oculi velut nube quadam & caligine inumbrentur. (Camerarius.)

Lamentatio. *Super vno Imperatore defuncto sic lamentabantur. Vtinam aut non nasceretur, aut non moreretur.* (Aurelius in mori: Imperat.)

Augustus *Augustus Imperator capta Perusia in plurimos sæuit: Orantibus veniam hæc vnica vox occinebatur;* Moriendum est. (Sueton.)

Thraces natos plorant mortuos ridēt *Gens quæpiam Thracibus finitima, edito infante cum amicis frequentibus plorant, commemorando sibi quantas hic calamitates perferre debeat; è contra defunctum hominem cum lætitia efferunt, recensentes, quam multis sit malis subductus* (Herodotus.)

Idem fecerunt Causiani, & Gothæ, puerperia luxerunt, funera plausu exceperunt. (Stobæus.)

Saladin. *Saladinns Aegyptiorum Regum maximus, cum totum Orientem subiugasset, Occidentem terruisset, Asiam domuisset, totum denique or*

bem

bẽ concussisset, vt morti se iam vicinũ vidit, mãdauit, vt statim ac spiritum exhalasset, tunica interior per omnes ciuitatis vicos in hasta circumduceretur, & à praecone alta voce inclamaretur, Saladinus Orientis flagellum, Asiae Dominus, omnium populorum terror, ex omnibus suis victorijs in bello partis, tandem Regina Morti cedens, nihil secum defert, nisi vnicum hoc indusium, quo in sepulcro operitur, (Antonin. par. 2. titul. 17. cap. 9.)

Xerxes.

Xerxes innumerabiles militum copias collegerat, quas cum lustrandi caussa in verticem montis se contulisset, lachrymis obortis suspirans dixit: centum ab hinc annis nullus omnino superstes erit; omnes in cinerem redigentur. (Plutar. in vita Xerx.)

Philipus.

Philippus Macedo cum palaestram, in qua Graeci luctabantur, ingressus esset, & inter luctandum ad terram prolaberetur, iacentis sui corporis imaginem, in arena expressam videns, & quam parum loci occuparet, considerans, iocando incepit dicere: O quam minimam terrae partem, na-

tura sortiti, orbem appetimus Vniuersum! (Marl.)

Brachma ni. *Brachmani cum ab Alexandro petiissent donum immortalitatis, ipse vero respondisset: rem prorsus filij impossibilem postulatis, quia & ipse mortalis sum, tunc protinus adjecerunt, cur ergo tam insana regnandi libidine flagras, ac si morti nunquam tributum soluturus.*

Mortis Imago. *Pictores, vt mortis naturam exprimerent, illam proponunt nudam, lumine cassam, auribus carentem & falce armatam: Nudam quidem*, vt doceant, quod hinc nudi exire debeamus: *Cur lumine cassam?* quod in obuiaquæque impingat & sine respectu obruat. *Auribus caret*, quia clamoribus non flectitur, lacrumis non mouetur, & ad preces humanas veluti rigida rupes surdescit: Hinc à *Pericle Atheniensium Duce Atropos* (inexorabilis) nominatur: Porro *quid per falcem, quam feralis hæc Megæra manibus vibrat?* quoniam mors omnia Solo æquat.

Est commune mori, mors null[i]
parcit honori.

De-

Debilis & fortis, veniunt ad funera mortis.

Gregorius Nauigantibus similem facit mortalium vitam, videntur enim homines quiescere loco, & opinantur arbores, agros scopulos moueri, at non sic, nauis ver agit, cætera neutiquam mouentur. *Nauiganti similis vita nostra.*

Stultos Agrigentinos antiquitas nominauit, de quibus dicitur: Agrigentini epulantur, vt cras morituri, ædificant, vt semper victuri. *Agrigentini stulti.*

Alphonsus Dux Calabriæ Eduardo filio suo dedit in aureo clypeo Zodiacum talem, in quo quatuor animalia picta erant: Primum erat ceruus cum inscriptione, DEVM TIME. (Ceruus timet tonitrua fulmina.) *Secundum erat ciconia cum inscriptione:* PARENTES REVERERE. (Ciconia senes parentes dorso suo portat ac nutrit:) *Tertium erat Testudo cum inscriptione,* DOMVM PROCVRA: (Testudo domum suam semper portat secum:) *Quartum erat Delphinus cum inscriptione,* OFFICIIS VACA. Delphinus alios pisces sibi conciliat benefaciendo, non nocendo: nautas præmonet saltu suo & lusu, cum tempestas immi- *Alphons. filio clypeum dat.*

net mergentes tergo portat: *Super omnia hoc lemma fuit*; CELER VIRTVTIS CVRSVS. Id est, sic cito senescere possumus & longam vitam viuere. (Campos. l.8.)

QVAEST. III.

Epitaphiũ quid? *Quomodo Epitaphia construenda sint & sepulcrorum inscriptiones.*

Epithaphium est Oratio siue prosa siue ligata in defunctorum sepulcris scribi solita vel vexillis super sepulcra pendentibus, Debet continere nomen mortui, genus mortis, gentis, familiæ & factorum præcipuorum breuem commemorationem. Supra inscriptionem communiter hæc verba ponuntur, DEO O.M. vel AETERNITATI, Infra vero ponuntur nomina eorum, qui defuncto *Epitaphium* posuerunt.

Epitaphia alia sunt iocosa, alia sera. Varijs modis scribuntur. Aliquando enim simpliciter narratur, quis hic sepultus sit & qualis fuerit. Aliquando ipse mortuus inducitur de se loquens cum Viatore aut Le-

ctö.

ctore. Aliquando ipsum marmor aut saxum loquitur de eo, quem tegit: Interdum instrumenta loquentia inducuntur, quæ defunctorum tumulis aut insculpuntur aut adpinguntur. Solebant autem antiquitus singulis sua instrumenta apponi ver.gr. *Pastori baculus: Nautis remus: Agricolis aratrum: militibus framea: Venatoribus falco aut canis: cœteris cœtera.* Modernis verò temporibus stemmata imprimuntur aut Symbola tumulis ver. gr. *Ducibus, Aquila vel Leones: Sacerdotibus Claues Oratoribus Fulmen: Poetis Cygnus:* Ergò mos est, vt interdum aliquo instrumentum loquatur verbi gratia Framea sic.

[***]

*

* * *

ACVTA FVI OLIM FRAMEA.

Sed nunc ad mortis saxum hebeta sum:
Fulgebam olim splendore Martio Ibi, &c.
At nunc rubigine Lethi corrodor.
Timebat me Hostis
Sed quamdiu me brachium Domini N. agitabat.
Iam cum Domino fessa Bello & Victorijs.
Hic quiesco &c.

Interdum ponitur supra tumulum pictura tantùm seu Symbolum aliquod cum Elogio, seu acuta sententiola. verbi gratia *Si Regis cuiuspiam Amorem in subditos velles depingere: Symbolum hoc seruiret, Pelicanus sanguine pullos suos fouens, cum Elogio:* PRO LEGE ET GREGE. Vel *Aquila expansis Alys.* cum Epigraphe; SVB VMBRA ALARVM MEARVM. Vel *Leo apertis oculis dormiens cum* lemmate; NON DORMI-

MIVIT QVI CVSTODIVIT.

Aduerte autem, summè curandum esse, vt *Epitaphia* & Inscriptiones siue tumulorum siue vexillorum abundent doctrinis & sententijs moralibus. Sed omnia meliùs in exemplis videbũtur.

EXEMPLA.

Quæris Viator quis sub hoc
Marmore tectus iaceat?
Homo, vt Tu mortalis;
Qui sic Patriæ vixit,
Vt eum vixisse non pœniteat:
Tu
Manibus eius bene precare
Salutis tuæ non immemor:
Viue & Vale!

ALIVD.

Hic decumbo Viator
Vide quid sum,
Fui quod es,
Eris quod sum;
Vale.

ALIVD.

Mortales cum simus,

Quid futura dies nobis vehat
neſcimus;
Iohannes mihi nomen eſt,
Cognomen N.
Annis vixi XVI.
In palæſtra literaria exegi
VIII.
Virtuti litaui;
Integritati ſacrificaui;
Parthenius Partheni è vixi;
Et Ecce;
In vernanti ætate morior;
O me vel ipſi Muſæ,
Vel Fata,
Vel Amici,
Vel Parentes
Flete!

Ex delicijs Orbis hæc ſint Franciſci Pacini.

Iuueni portum: Spes & Fortuna valete,
Nil mihi vobiſcum eſt, ludite nunc alios;
Hoſpes eram Mundo, per mundum ſemper eundo:
Nunc ſuprema dies ſit mihi ſumma quies.

An-

Angeli Politiani.

Politianus in hoc tumulo iacet Angelus, Vnum
Qui caput, & linguas (res noua) tres habuit.

Iocosum in Vespiam, litigiosam Vetulam.

Tres habuit furias quondam, sed Vespia Manes
Vt petijt, furias quatuor Orcus habet

Siluij Palladij.

Fui,
Non sum,
Estis,
Non Eritis:
Siluius Palladius,
Qui
Vt moriens viueret
Vixit vt moriturus.

ALIVD PRO Iuuene.

Heu! Heu!
Hic ante annos iuuenis iaceo
Morti ludibrium,
Fratri Funus,
Patri mœror,
Matri lacruma,

Mu-

Musis luctus.
Iuuenibus exemplum,
Senibus suspirium,
Mihi tabum, Cinis, Nihil:
Deo quid?
Ah Viatur cur rogas?
Eheu!
Iam audio quod timeo,
Quod Spero
Tu cras Scies,
Curiose Ciuis abi

Saladini Aegyptiorum Regis.
Horruit in toto, qui Rex Oriente potenter,
Nunc iacet, ex tantis quid tulit?
Ecce nihil!

Principis Poetarum Virgilij Epitaphium, quod morti vicinus sibi erexit, ad libros respiciens suos, quos conscripserat, De Bucolicis, de Georgicis & Aeneidos.

Pastor, Arator, Eques, paui, colui, superaui,
Capras, Rura, Hostes, fronde, ligone, manu;
De Capris pastis, de Rure sato, Hoste subacto,
Nec Lac, nec segetes, spolia nulla tuli.

Qui-

Ouidij Ex l.3. Trist. Eleg. 3.

Hic ego qui iaceo tenerorum lusor amorum,
Ingenij perit Naso Poeta meo.

Mirandulæ in Templo S. Marci Florentiæ.

Hic situs est picus Mirandula: cætera norunt
Et Tagrus & Ganges: forsan & Antipodes.

Similij Præfecti militiæ sub Adriano Imperatore.

Similius hic iacet
Cuius ætas multorum quidem annorum fuit.
Septem tamen duntaxat vixit
Quibus vixit sibi.
Similius septennis vetulus.

In Sardanapali tumulo erat manus sculpta ad elidendum digitis crepitum disposita.

Sardanapalus Anacyndaxis filius.
Anchialem & Tersum
Vno die condidit
Ede. Bibe. Lude.
Reliqua ne digitorum quidem crepitu digna sunt.

In

In Orphei sepulcro.

Lyra fuit sculpta cum inscriptione:

LVSIT.

In Mercatorem magnum debitorem.

Mercator iacet hic, cuius mihi dicere longum
Nomine sit: moriens nomina mille habuit.

Viennę Maximiliani Cęsaris.

Maximilianus Cæsar semper Augustus.

Demissus Cęlo
Redditus Cœlo
Non obijt, sed abijt.

Louanij Ioannis Samesij,

Iste vir fuit, Lector, sed fuit:
Tu quoque quod es non eris.
Alius alio sed omnes huc imus.
Cogita, & huic bene apprecare
Ita posteri tibi

Ioannis Fossæ ex nimio Poesis studio ad insaniam redacti.

Hac sunt in fossa Fossæ mirabilis ossa.
Qui sibi condendo versus cere-comminuit-brum.

Philosophiæ Magistri indocti, inter disputandum in Grammaticam peccantis.

Hic

Hic iacet Magiſter noſter,
Qui argumentauit bis vel ter;
Semel in celarent,
Vt omnes admirarent,
Bis in Friſeſomorum,
Requieſcat in ſecula ſeculorum.

Magiſtri Grammaticæ.

Grammaticam didici, multos do-
cuique per annos,
Declinare tamen non potui tumu-
lum.

Vxoris Loth in Statuam verſæ.

Hoc eſt ſepulcrum intus cadauer
non habens.
Hoc eſt cadauer ſepulcrum ſuum
non habens.
Sed cadauer idem eſt & ſepulcrum
ſibi.

ALIA

ALIA RECENTIORA.

SIGISMVNDI III.

Poloniæ Regis.

Æternitati:

Sigismundus III.

Suecis a Natura, Polonis a libera populorum suffragatione
Vtrisque a Deo Datus Rex.
Ioanne Sueco & Catharina
Iagellonia
Hoc est
è vetustissimo hinc Gothorum, inde Polonorum vtrinq; Regio sanguine:
Flos Europeæ Nobilitatis.
Natus
A Patre Regum sapientissimo
Regnandi
A Matre Fœminarum pijssima,
Deum colendi artes edoctus:
Ita vixit vt.
Regnare
Ita Regnauit
Vt viuere eum diutissime Reip.
interfuerit.

Re-

Regnauit a pueritia,
Vixit ad Senium,
Semper bonus ſupra ſuorum
vota,
Semper felix
Supra ſua merita &c.
Bello inuictus, Victoria mitis,
Pace juſtus:
Nihil vnquam magis timuit
quàm bellorum cauſſas:
Nihil minus quàm euenta;
Bellauit ſæpe, vicit ſemper, triumphauit nunquam,
Quod diceret
Regum rationes ita demum conſtare, ſi illis opus &
Labor,
Reip. merces & fructus, Soli
Deo Gloria &
honor ſua cuique redderentur, &c.
Vixit
Annis LXVI.

Quod Regum non multi,
Regnauit XLIV.
Quod pauci
Vbique inculpatus & propria
ſua laude innocens,
quod

quod vix alius,
Fama cane,
Liuor sile
Posteritas mirare!
Ego magnos Manes veneratus
similes Orbi terrarum Reges precor, & ab eo
N.N.Lacrumans
Constantiæ Reginæ Poloniæ
D.O.M.
Serenissima Regina Poloniæ
Constantia
Ferdinandi I.Imperatoris Optimi
Neptis, Caroli Archiducis
Austr.& Mariæ Ducis
Bauariæ Filia
Ferdinandi Cæsaris semper
Augusti soror
Sereniss. & Potentiss. Polon. &
Suec.Regis Sigism.III.
Coniux,
Mortalitatis suæ exuuias
ad Dei Iudicis usque aduentum
hic deposuit:
Ioan. Casimirum, Ioan. Albertum, Carolum Ferdinandum,
Alex. Carolum, Annam Catharinam,
Lectissimus Principes
foe.

fœcunda boni publici Mater reliquit
Cęlo autem fęcunditatis suæ partem filium & filiam consecrauit, &c. Inopinato mortis casu
Coniux Regem
Mater Principes
Regina Regnum
totam Christianitatem piissima Princeps in męrore reliquit.
Versauuiæ X. Iulij Anno salutis reparatæ cIↃ IↃc XXXI.
Ætatis XLIV.
Coniugii XXIV.

ALE-

ALEXANDRI CAROLI

Principis.

D. T. O. M.

Hic

Primæuo in flore raptus
Flos ille Principum
Alexander Carolus Poloniæ
& Sueciæ Princeps,
Sigismundi III.& Constantię
Polon. & Suec. Regum
filius
Vladislai IV. Pol. & Suec. Regis
Frater, tot Cæsarum tot
Regum germen,
mortales æui flores, mortales
exuuias deposuit;
Ille Alexander
Sanguine, Indole, expectatione
Magnus;
Et ipsa expectatione Major
Alexandro illi Magno, sed inno-
centi simillimus.
Ea iam Indoles, is Animus præ-
cursor ętatis
In moribus, in factis, in con-
silijs,

filijs, emicuit, eminuit,
quo iam Regnis, quo spei publicæ non Domi tantùm,
sed foris placuit.
Qui dum Christiani Orbis florentiores partes inter stuporem & amorem magnus hospes
lustrat,
Repente ad Arma & bellum contra Christiani Orbis Hostem
Pro Religione, pro Patria properauit, redijt,
Huc studia, huc vota omnia præparabat.
Intercessit Pax accessit Morbus, successit heu
Mors!
Sed nihil laudi nihil gloriæ decessit.
Respexit Vota Cœlum, Animumque coronauit,
XIII. Kalendas Decembris

ANNO
ÆTATIS XX.

CHRI-

CHRISTI CIↃ IↃC XXXIV.
Regnantis
Vladislai Fratris III.
VValensteini Manibus
Hanc nec molem, nec Pyramidem nec Sepulcrum, sed
exiguam Ruderum
struem
ne despicias
Viator;
Quam ingentis machinæ
ruinam
Ipsemet Iupiter Germanicus
exhorrescit.
Gigantem tegit,
Qualem, terram Parentem ira
Deorum irritatam
extremum Encelado fratrem
peperisse dicas;
Hunc
exclaris quidem sed modicè fastiditatis penatibus ea
sors suscepit,
Quæ ligones sceptris vel gaudet
vel audet ęquare
quæ ex Pastoribus facit
Heroes.
Nouum Herculem dixisses genitum, nisi ille serpentes in ipsis
cuna-

cunabulis ne caſſet, vt monſtris
interficiendis adultus
aſsueſceret?
Hic
ab incunabilis malos Genios
fouiſset
à quibus aliquando monſtris
interficeretur.
Iamque ita excreuerat,
vt ipſum Iouem ſuam prolem
agnoſcere credidiſses;
ille
Supremus bellorum Miniſter
Summus Imperij Adminiſtra-
tor
Olympum ſolus ſuſtinere
videbatur
Cur autem in tanto culmine non
valide ſteterit, quæris
Ambitionis turbo eum
deiecit.
Siquidem non ipſe, ſed fortuna
fatigata dum maius quod ſibi
parabat pondus, leuis
illa, detrectat.
De generes Ortus prodidit & fi-
lio iouis
Rebellem indicauit,
Vt quem ſimulata fides euexerat,
R ape-

aperta perfidia depri-
meret :
Religîonis ſacra polluere, Impe-
rij Maieſtatem euertere tot Re-
gum, tot Cæſarum ipſique pene
Cęlo cognatum ſanguinem
innoxium profun-
dere,
Omnia ſuperbo pede calca-
re Regem ſe facere
Sacrilegus moliebatur;
Verum
Moles tanti furore ignis ante
tempus diſiecta,
Molitorem ipſum egit in
Cineres
Sic Imperia ijſdem quibus par-
ta ſunt artibus, amit-
tuntur.
Tu
antequam abeas
Lapillum ſaltem congerere ne
graueris,
Vt in Gigantis olim excreſcat tu-
mulum, qui Gigantis nunc
operit auſus.

CA-

CAPVT VII.

De Oratione Natalitia.

DVplex Oratio Natalis esse solet: Vna est, qua gratulamur Parentibus felicem filij aut filiæ natalem. Altera est, qua Natalem alicuius in recursu anni recolimus eidemque ipsi gratulamur. De vtraque breuiter.

QVAESTIO I.

Quomodo construitur Oratio, in qua Prolem natam Parentibus gratulamur?

Oratio Natalitia ad Parentes Prolis.

Primo, præmitti solet aliquis discursus, aut de Parentum felicitate? qui familiæ suæ fulcra aut decora in liberis accipiunt: aut de felici successu Amicorum: aut de consuetudine gentium aut alia Historia ad rem accommodata. Præsertim tamen hi discursus formari solent, ex occasione aliqua interueniente temporis, loci, personæ, vel aliarum circumstantiarum, *Secundo*, explicentur caussæ

lætitiæ propter quas parentes & amici gaudere debent, vt, quod hoc modo familiæ fulciantur, Maiorum gloria propagetur & optata nobis per posteros nominis æternitas occupetur, &c. *Tertio*, Omina & auguria fiunt de Infantis felicitate, de valetudine bona, de genere vitæ: & hic laudes tractari Maiorum possunt, quos scilicet infans imitabitur, & à quorum virtutibus nunc lucem nobilitatem accipit. *Quarto*, fiunt apprecationes, vt hæc omnia impleantur, quæ spe sunt concepta. *Quinto*, si Patrimus Orationem dicit, gratias agit Parentibus, quod singulari ratione ad huius lætitiæ sensum se admiserint: seque illis, & infanti ad Obsequia offert.

PRAXIS.

Gratulatoria Natalis.

Semper ego risu dignam existimaui lacrumandi eorum consuetudinem, quibus suorum natales indictis plorationibus excipere, in frequenti amicorum collegio nimiopere religiosum fuit N.N. Stolidi certè Mortales, aut ne mortales

les quidem, si rationis in hoc opere & naturæ iniuriam ritè contẽplemur: Vel enim se natos deflere debebant, vel plenissimo inuidiæ ausu velle soli viuere, & secum vniuersam humani generis Oeconomiam extinguere. Nam vtut verum sit, etiam quotidiano experientiæ calculo, hominem fortunę aduersarium, & calamitatum nasci: nunquid ita fuerunt in rerum natura hospites: aut plumbei sensus, vt ad virtutem homines creari nescîuerint: Virtus verò cum fortuna litigare debet, si vera est, vt triumphet, & inter aduersa debet clarescere. Non frangunt hominem sinistra, sed firmant; sicut Nebulæ Solem non fœdant sed commendant. Ignauiæ igitur militare voluerunt illi, & voluptatem in stipendium mereri, non vitam velut arenam ingredi, in qua fortia agere & pati generosorum est hæreditas. Sed vtut sit, saniotibus saltem voluissem oculis hæ nationes hominis vitam inspexissent, didicissent vtique filium personam patris, vocem patris, animum patris, simulacrum patris nasci in familiæ ornamentum,

rum, decus Amicorum, senectutis fulcrum, ærumnarum lenimen, Reipubl. præsidium, Ecclesiæ tutelam, Cœli incrementum. Quid vero istorum tantam lacrumis materiam suggerit? meliori nos disciplina imbuti, hodierna die & animis exultamus & nobis nostrisq; Parentibus gratulamur; cum singulari Authoris naturæ beneficio, nos votorum vestrorum terminum in senectute & ærumnis anchoram nos amici commune solatium, illustris familiæ incrementum, Respub. ciuem & præsidium, gloria & immortalitas clientem, in hoc recens nato filio attigerimus, præsagit augur animus omnia summa de paruulo, nec infirma spes dicere iubet, fortunatissimam prolem, à Majorum suorum vestraque imprimis, qua dignitate, quo morum candore, qua virtutum frequentia, qua nominis, & honorum sublimitate, neutiquam discessuram. Vrent eum arcanæ, quæ in Maiorum cineribus latent, faces, quæ etiam tunc cum cogitantur, quasi manu admouerentur, inflammant. Vocabit in sui honoris vestigium

Do-

Dominus N. vocabit &c. (Hic laudentur Maiores) vocabunt alij, & quem generis nacti sunt, virtutis etiam auitæ heredem volunt nancisci. Quemadmodum enim non omnis Arbor cydonijs malis rubet nec quilibet fons *Nilum* fundit: Ita non exiguum est fortunæ ad Virtutes præsidium, illustri venisse origine.

Est præterea quædam ad honestæ vitæ prosecutionem in venis nobilibus lex, quæ magnos Spiritus suppeditat, semperque velut igniculus vrit, & tamquam admotis calcaribus excitat, nec degenerem esse sinit. Sic hunc paruulum olim *Themistoclem* non vnus *Miltiades* in æmulos ausus animabit. Interim cresce beatè Infans, Deo regente & ducente, tenero solidare corpusculo, & cresce in virum fortem, fortium sanguis, hauri ex institutione te digna nobiles Spiritus, emulos indue Maioribus mores: Auorum Parentumque imago virtutes repræsentet, meritis in Deum, in Patriam, in tuos auctus & diues ad sublimes conscende dignitates. Denique non nisi fessus

annis & meritis commune mortalitatis tributum persolue. Dixi.

Quod si aliquis breuiùs dicere vellet, omissio discursu longiori, dicet tantùm, gaudendum esse, quod Proles spei bonæ & sanguinis nata sit; enumeretque ornamenta, quæ à Parentibus & Maioribus recens Natus accipit: Denique apprecetur Infanti fausta omnia & longam salutem.

QVAESTIO II.

Quomodo construitur Oratio, in qua respondetur a Parentibus Gratulationi Natalitiæ.

Resp. ad præced. *Primo*, solet etiam adhiberi aliquis discursus, per modum accessus. *Secundo*, Gratiæ aguntur pro adfectu & apprecationibus, optaturque vt ea eueniant. *Tertio*, Merita & laudes modicè extenuantur. *Quarto*, petitur Continuatio beneuolentiæ inchoatæ. *Quinto*, Gratiæ aguntur illi, qui Patrem pueri egit in Baptismo: optaturque, vt puer maturescat ad eius

&

& reliquorum hospitum obsequia.

PRAXIS.

Si quemadmodũ in magnis domibus vestibula vlteriorem ornatum promittunt, ita natalis dies ceterorum dierum velut ianua, reliquæ ętatis certissimum foret augurium, fortunatissimam prolem ex Dei munere recens natam, arbitraretr, vltroque parens virtutis ac Cęli filium veneraretr Sed *ab occasu diem commendare iubemur; caterum ab ortu inter meridiem & vesperam spe metuque fluctuare, ne tempestas expectationem eripiat; dedecorant enim* (vt Lyricus canit) *bene nata culpæ*; & vsitato Græcorum circumfertur prouerbio, etiã *Heroum filios plerumque noxas nasci*. Vtinam votis N. N. vestris subscribant fata, & desiderijs, ducatque & animet in Maiorum vestigia nobilis Genius, fiatque non quidquid calcauerit, rosa, sed quid egerit Reipublicam gloria, Parentum lætitia, amicorum solatium, familiæ ornamentum. * Sed vestrum cum- *Respons. ad Nat. Grat.*

primis N.N. in obsequium adolescat, nobilemquemque huius diei beneuolentiam, quem secundo natalem lætit'ę fecistis, multis maturisque officijs compenset. Quam quidem felicitatem quia infans non agnoscit, Ego vicaria gratitudine immortales gratias habeo, meque simul meosque æterno Fanori Vestro N. N. consecratos esse, vnicè exopto! Dixi.

De alia natali, quam in recursu anni recolimus, non est quod dicamus, eo quod hæc Oratio propriè ad Gratulatoriam spectet, in eaq; nihil fiat, nisi quod gaudij Caussæ coacernentur, ex laude eius, cuius natalis dies est. Denique diuturnæ incolumitatis & prosperitatis apprecatio additur. Sed de his paulò post.

SENTENTIAE
Huic Materiæ seruientes.

Corona Senum Filij eorum. (Prouer. 17. v. 6.

Matrimonij flores liberi sunt, quos quidem carnalium pratorum Diuinus colligit Agricola. Clemen. Alexandrinus.

La-

Lætitia patris filius sapiens. Menander.

Nihil est tam honorificum pueris quam bono & honesto parente esse natum. Eurip.

Rapitur ad similitudinem suorum excellens quæque natura. Nazar.

Fortes creantur fortibus & bonis, est in iuvencis, est in equis patrum virtus, nec imbellem feroces progenerant Aquilæ columbam. Horat.

Aurei Patres sæpe filios reliquerunt plumbeos. Aratus.

Acetum vini filius. Casaubonus.

Ex ouo albo sępe nigri pulli prodeunt. Garnerus.

E Spinis Rosæ prodeunt. Ammianus.

Filij sunt duocedo amarissima & fel melle circumlitum. Petrarcha.

Habes filios? habes & vnde viuus doleas & mortuus agnoscaris: habes in quibus viuas, & in quibus sæpe moriaris. Idem.

Magnum, & dulce solatiũ Patri filius, sed sollicitum & graue. Idem.

Magnum depositum habent parentes filios suos. Chrysostom.

Boni vini & boni viri origo non est inquirenda. Senec.

Et verbo & facto paruis sit regula natis.

Optima sitque omni tempore norma Pater. (Verinus.)

Qui non rectè instituunt atque educant liberos, non solùm liberis sed & Reipubl. faciunt iniuriam. (Cicero.)

Nemo glorietur, quod magna vrbis sit, sed quod sit dignus magna & illustri Patria. (Arist.)

Liberis nihil est carius humano generi. (Liuius.)

Iam non admiror, si omnia nos à prima pueritia mala sequuntur, inter execrationes parentum creuimus. (Senec. Ep. 11.)

Contemptum tibi omnium opto, quorum tibi parentes copiam optauerunt. Idem.

EXEMPLA ET ALIA

Suppellex.

Ben. In Sacris literis vocatur filius *Ben*, id est, vt ait *Bineda*, Domus *Salomon.* seu palatium parentum.

Salomon à matre vocabatur *filius votorum.* (Prou.) *Alij d.u.*

Nuncup. In iure *filius* vocatur *persona patris*,

tris, vox patris, corpus patris. Alij vocant *filium animum patris*.

Nazarius vocat *imaginem* seu *simulacrum patris*. (In Panegir. Const.)

Votum erat *Carthaginensium*, quo precabantur, vt Romani aut improbi aut malesani nascerentur. (Marcell.) *Carthag. vetum.*

Helias cum esset nasciturus Pater eius vidit illum ab Angelis niueis salutari, & igne tanquam fascijs inuolui, & flamma ignis tanquam cibo nutriti. Hierosolymam ergò profectus nunciauit Sacerdotibus visum, & dictum ei fuit ne timeret, *nasciturum filium qui in luce habitabit, igneque & gladio vindicabit Israel*. (Doroth. Ep. Tyr. in Synopsi.) *Helias.*

Cum *Ester* nata esset, *Philomelain* cubiculum inuolauit, in cunisque sedens suauissime aliquamdiu cecinit. Salianus. *Ester.*

Appianus lib. 8. Apud *Iones* statuæ erant, quæ prætereuntes salutabant dicendo: *Salue responde*. Cum nascimur, nos maiores nostri salutant, sed vt respondeamus volunt, virtuti eorum, non ore, sed more. *Statuæ loquent.*

(Cau-

Orfei Sepultura. Causin. Locus Sepulturæ *Orphei* producit Luscinias excellentes cantu super omnes alias. Sic vbi nascaris interest.

Annul. In *Emigildis Reginæ Scotiæ* cunis apparuit annulus miræ pulchritudinis & magnitudinis, cum inscriptione: *Mater Regum, filia Regum, Regina Regum,* Annal. Angl.

Zoroast. Iustinum *Zoroastes* ridens natus est, in præsagium magnæ Indolis.

Venus. *Venerem* etiam ridentem natam fabulantur Poetæ.

Curius Dentat. *Curius Dentatus* natus est cum dentibus, & inde nomen traxit: Liuius.

Fabius. *Fabius Ambustus* dictus erat, quod ipsi adhuc Adolescenti fulmen nares ambussisset. Dictus est etiam *pullus Iouis*, quasi dilectus ab eodem. Volateranus l.4.

Hercul. Nat. Comes. *Hercules* tener adhuc & lactens angues manu elisit, sic iam infantolus indolem futuri roboris dedit.

Plato. *Plato* cum positus esset in myrteto examen apum ori ejus insedit. Aelianus.

In

In ore *Stesichori* Poetæ infantis dicitur Luſcinia conſediſſe. (Plin. lib. 10. *Steſich.*

Eædem in *Pindari* dormientis ore mellificarunt, præſagium fuit melliflui ſermonis. *Pindar.*

Diod.Sic.l.8. *Semiramis* infans expoſita diu educata eſt ab auibus: alijs dicunt nutritam eſſe à Columba cuius etiam nomen habet ex Syriaca. *Semirami.*

Sabellicus libr.9. In *Caij Marij* pueri ſinu repertæ ſunt *ſeptem Aquilæ*, quod erat ſignum ſepties eum Conſulem futurum. *Caius Marius.*

Idem. *Aurelianum* infantem ortum humili genere Aquila ex cunis rapuit, & in propinquam aulam depoſuit. *Aurel.*

Iuſtinus lib.9. *Hieronem Syracuſanum*, expoſitum apes il Syluis aluerunt: fuit is poſtea *Rex Sicili.* *Hieron.*

Seruius Tullius viſus eſt dormiens æabere caput ardens flamma circa tempora ſerpente. Halicar. Dyoniſ. *Seruius.*

Socrates inſtituturus *Platonum* puerum, viſus eſt ſibi Cygnum viuere e gremio ſuo egredientem, *Socrat. de Platone.*

qui

qui cantu orbem terrarum imple-ret. (Fulgos. lib. 1.) & Laertius.

Philipp. Fulgos. *Philippus Macedo* visus est sibi per somnium imprimere si-gillum, in quo erat forma Leonis. Natus est ei deinde *Alexander Leoni par magnanimitate*.

Olymp. *Olympias Mater Alexand.* pu-tabat se fulmen gerere in vtero. (Sabell. lib. 9.)

Aquila. Cum *Alexander* nasceretur, duæ Aquilæ super palatium sede-bant, & vna ad Orientem, altera ad Occidentem auolauit. (Plutar-chus.)

Mater Octauij. *Octauij Cæsaris Augusti* mater somniauit, sua viscera in sublime ferri & in totum Orbem diffundi: Item se Solem peperisse; vnde cum natus esset *Octauius*, sum-mum illi imperium prædixit. Alex. ab Alex. lib. 3.

Cicero de Octauio. *Cicero* somniauit, quod *Iupiter* aurea catena *Octauium* Cœlo di-mitteret ad portam *Capitolij* & po-stea flagellum illi daret, & reuera triumuiratus illius fuit flagellum insolentis nobilitatis.

Rustica. Fulgos. lib. 1. *Rustica quædam in Britannia* somniauit, ex vtero suo egressam *Lunam*, quæ totam

illu-

illustraret *Britanniam*, genuit, deinde puellam, quæ peperit *Alestunum Regem Britannorum*.

Hecuba visa est sibi per quietem facem eniti; natus est ergò *Paris*, qui *Trojæ exitialis fax* fuit. (Sabell.) *Hecuba*.

(Idem) *Astyages* somniauit, ex se vitem enatam, quæ magnam terrarum partem inumbraret. Nata ei postea filia, quæ mater fuit *Cyri Potentissimi Persarum Medorumque Regis*. *Astyages Auus Cyri*.

Agarista Xantippi Vxor visa est in somnis, Leonem parere, & peperit *Periclem*. (Plutarch.) *Agarista Periclis*.

(Fulgos.) *Iustus Patricius Romanus* somniauit, ex se egressam purpuram, genuit ergò filiam *Iustinam*, quæ in vxorem à *Valentiniano Imperatore* est accepta. *Mat. Iustina*.

MOS ANTIQVORVM CIRCA

Natalitia.

(Macrobius) Mos fuit antiquis, vt infantes statim in terram deponerentur. *Infans in terram depositus*.

nerent; *Terram* enim *Deam Opi* esse: eius igitur implorabant auxilium, vt pia alimenta subministraret infanti: Sedentes autem parentes vota concipiebant & terram de industria tangebant.

Super clypeum. Solebant etiam puerum natum super Clypeum locare: vnde *Claudianus de Honorio; reptasti per scuta puer.*

Lacænæ Matres. *Lacedæmonij* etiam in Clypeos exponebant infantes: fortè vt eundem locum nascens puer haberet quem moriturus; nam ijdem & super clypeos sepeliebant: Ideo Matres *Lacænæ* filijs suis ituris ad Bellum Clypeos porrigebant dicendo: *Aut cum hoc, aut in hoc.* Supple; redi. Herodotus.

Infantibus Polypus offertur & cur. Theatr. vit. human. Infans *ortus die quinto circa ædem ferabatur curriculo*, & tunc ei mittebantur munera, præsertim autem *Polyp*... dat rationem *Lysias*; *quia infans veluti Polypus est*, talis enim euadit quales ij sunt, cum quibus est assiduo.

Est autem Polypus piscis, qui eius rei, cui se applicat, colorem induit.

Thraces. (Herodotus) *Thraces* infantem cir-

circumsedebant cum propinquis & lacrumabantur, narrabantque ei omnia, quæ erat passurus; mortuum verò cum lætitia sepeliebant, narrantes sibi, quæ mala euatisset.

Apud Romanos festa dicta Genethlia.

Romani singulis annis recolebant diem Natalem, vnde festa dicta *Genethlia*, & carmen, quod tunc decabantur, dictum est *Genethliacum*. Hunc diem felicissimum habebant, dona sibi inuicem mittebant: sanguine eodem die abstinebant, ne eum diem, quem ipsi accepissent, alijs demerent. Munus etiam *anniuersario Genio* soluebant, Rosinus lib. 2. Antiq.

Vulcanus

Vulcano non arriserunt parentes (solebant enim pueris arridere) ideo nec *Iupiter* illum est Mensa dignatus, nec cubili. Varro.

Genita Mana.

Ad *Genitam Manam* suscipiebatur votum, ne quis Domi nasceretur probus, & credebatur, eum nequissimum fore, cui hæc Nascentia adstitisset. Rosin. sed enucle in Qu. Plutar. Rom. Boxhornius.

Parcæ.

Parcæ colebantur inter Natales, ne statim vitæ cito abrumperent,

&

& vt candidi & aurei velleris horas, hoc est, felices nerent: Dictæ sunt à parcendo quia nemini parcunt.

Brachmanes. *Brachmanes* edito Infante faciebant consilium, & ex membris iudicabant cuius essent indoles, & si ea placebat, dabatur disciplinis informandis, sin minus occidebatur. (Al ab Alex. l. 2.)

Edua, Potina Cuba Deæ. (Varro.) Pueri, quamprimum cum lacte transferebantur, consecrabantur Deabus, *Eduæ, Potinæ, & Cubæ*; Scilicet edendi, bibendi dormiendi.

CAPVT IX.

De Orationibus Salutatorijs & Valedictorijs.

Salutatoriæ Orationes. IN Salutatorijs Orationibus significare solemus lætum nobis & gratum accidisse aduentum alicuius, precamurque simul eidem omnia fausta & obsequia nostra dedicamus.

QVAESTIO I.

Quomodo construitur Oratio Salutatoria?

Pri-

Primo, Gratulando aduentum el incolumitatem alicui redditur aussa lætitiæ & salutationis : quæ pima erit, si desumetur ex re & ccasione præsenti, siue ex circũ- lantia loci, temporis, personæ, am eius, quæ salutatur, quam il- us, quæ salutat. *Secundo*, lauda- ır is, qui salutatur à familia, vir- ıtibus, meritis, adfectu &c. *Ter- io*, omnia fausta eidem imposte- um apprecamur, dedicamus offi- iã nostra, animos, studia, obsequia. *Quarto*, Petimus vel mutuam be- ıeuolentiam vel gratiam, vel pro- ectionem quisque pro conditione uæ personæ.

PRAXIS.

Et incolumem te Illust. Domi- *Salutato- ria.* ıe & præsentem intueri ingens nihi gaudiorum materia est: Nam x votis meis Cœlum subscripsisse ideo, & beneuolentiam in me tuã supra vota ascendisse aduerot. Ve- hementius mirarer certè, in tanta animi tui profusione, nisi scirem eam Vobis Magni Viri à virtute impositam necessitatẽ, vt prodesse debeatis. Et *sicut sidera lucem* *ha-*

habent vt illustrent ; ita Vos amorem & gratiam, vt communicetis. Sed & inopem se hic eloquentia mea in tuo Mecœnatis mei fauore explicando fateri debet : & quia animorum negotium est, adfectibus cedit, vt illi scilicet perennem gratitudinem çternam obsequiorũ periphrasi æternum perorent.

ALIA PRAXIS.

Salutato ria qua Il lust. quæpiam per sona pro stemmate Lunam habens Collegium lustratura excipiebatur quondam.

Lætitia est, & pronior in te adfectus; Perillustris Domine, qui nos ad te expediuit & studiosæ iuuentutis vniuersæ animorum de tuo aduentu iussit esse interpretes. Circumspice frontes omnium, & colliges neminem esse, cuius plenum gaudijs pectus in vultum non exundet, neminem, qui non quam optimè cupiat, neminem, qui ad iucundos *Maij* Dies amœnam sibi de auita tua LVNA affulsisse lucem non affirmet. *Diogenis*, quod meminimus olim, querela fuit, cum illum *vblicum Orbis hospitem* & re & nomine *Magnum* incola dolij susciperet, ex Principis aduentu tenebras sibi suboriri & clarioris diei interire amœnitatem:

Con-

Contrarium experimur hodie, antam scilicet lucem nobis cum ætitia infundi, vt deiecto vultu, psa prope debeat conniuere Eloquentia: Enimuerò si vel generis ui, inspicimus claritatem, bonam idem, quis fulgor! quot homines video, tot Heroes numero; quot viros, tot pene Senatores; vt rectè Domus vestra *Equo* conferri posset *Trojano*, de qua semper amplissimi Duces, non in Orbis excidium, sed in Patriæ Salutem & Ornamentum prodierunt. Fatiger numerando, si incipiam, & citius eficiam quàm finiam: Vestra hæc laus à multis viget annis, vos omi habere exempla, quæ sequanini non aliena tueri; & nobilem honorum textum semel cepisse, unquam interrupisse. Itaq; cum ortunam non nemo gloriabundus in Domo sua dixit consedisse: n vestra ego annon verius virtutem dixerim habitare: alibi hospitem esse, apud vos incolam: nisi ortè & ideò insigne gentis lunam geritis, quod sicut hæc deficere quidem debet: Sed commoda vicissitudine aliam sui vice semper substituit: ita in vestræ Prosapiæ

curiu

cursu cedere quidem debetis alijs quod naturæ decretum vrgeat, alij tamen in locum succedunt, perinde quasi alter alteri lampada traditis & desinendo semper incipitis: Sat clarum in te documentum videmus, Perillustris Domine; qui Religionis amore & Sapientiæ studio & belli gloria Maiores tuos producis & velut viuum accelebre trophæum. Orbi loqueris. Gradere tanquam hæres eorum virtute & honore, in Ecclesiæ, Patriæ Familiæ ornamentum diutissime hoc vouemus, optamus! Dixi.

QVAESTIO II.

Quomodo construitur Oratio Responsoria ad Salutatoriam.

Respon. ad præced. Responsurus *Primo*, Gratum sibi esse adfectum Salutantis, & se vicissim lætari tum ob valetudinem eius, tum ob animi in se propensionem, dicet. *Secundo*, Extenuet modestè laudes suas & salutantem laudet. *Tertio*, Apprecetur ei omnia fausta & sua studia cum obsequijs offerat, oretque vt perseueret in adfectu erga se,

PRA-

PRAXIS.

Ad plurimos Salutantes Responsoria.

Placet Nobilissimi Domini igneus in pectoribus adfectus. Optimè in meam initari beneuolentiam non verba dedistis, sed tela: Tela, quæ animum inflammant, Cor adurunt, totum inuadunt, & nihil nisi vos, nisi vestri Amorem inijciunt. Perennet hic ignis in animorum vestrorum Tempis, & vestri pectoris in me beneuolentia, melior quam *Celia Vestalis* hanc flammam æternis excubijs custodiat. Meliore nos quam *Achillem Mater* incendio perfundimus, vt immortalitate imbuamur: *Ille inuiolabili Styge lotus, plantarum tamen improuidus fuit; & quam toto corpore magnus æternitatem habuit, gressu corrupit; ne totus fortassis hominem adhuc inter homines, excederet, & nostræ felicitati majus reseruaretur beneficiū qui amoris mutui flāma irrigamur & inuoluimur.* Amor autem, non vili fomite succensus, æstatē habet semper, hyemē nescit; semper incipit

cipit meridiem, nunquam declinat in vesperum; semper ortus dedidicit occasum. *Abesti* erimus sic credo & qua lapidis gloria est, cordiũ nostrorum fiet, *semel accendi, semper ardere.*

PRAXIS ALTERA.

Praxis 2. Concordem singularem adfectum, qué veluti omnium lingua Orator liberalissimè explicuit, gratissimè suscipio, & quia animus non nisi animo dignè æstimatur, meum rependo. Quot verba audiui, tot Amoris monumenta accepi; quem in ea ingeniorum ac nationum diuersitate reperire, erga me immeritum & volentem adhuc mereri, vehementissimè gaudeo. Præcox gratitudinis vestræ natura est, gratos fieri ante munera, & vt gratissimi sitis, gratijs beneficia præcurrere: Nisi fortè, quod in magnis solet esse satis, apud vos magnæ mentis Possessores voluisse facere, fecisse sit. Si tamen in tam casto Amore peccari potest, nimium ego in laudes meas vos exundauisse, accusos: quas in me haud reperi, vt ego dissimulē ru-

rubor, ingenuus cordis interpres, onfitebitur. *Sed qualis esse deberē, non quis sim; edocuistis*; Et Amor vester, vt Me venustiorem haberet, fecit. Nihil tamen non placet in amore, sapiunt errores, & peccata propè virtutes fiunt. Agite mutuos colligemus amores; non *Gordio, Nodo*, quem *Macedo* quispiam diffindit: sed *Adamante æterno*, quem nec *Morti*, nec tempori violandum relinquamus. Dixi.

QVAESTIO III.

Quomodo construitur Oratio Valedictoria?

In tribus præsertim occasionib. vtimur valedictoria Oratione. *Primo*, Quando Amici Amicis per se vel per alios valedicunt. *Secundo*. Quando filij Parentibus valefaciunt, discessuri vel in exteras Nationes, vel ad Bellum, vel ad Aulam. *Tertio*, Quando famuli a Dominis abeunt.

In ejusmodi itaq; Oratiuncula fabricanda hæc pūcta exprimi debent: *Primo*, Dolor de abitu suo explicetur, & reddatur caussa, qua-

re inuitus disjungatur. *Secundo* Exponatur necessitas discedendi, & caussæ dentur, quæ eandem vrgeant. *Tertio* Gratię habeātur pro beneficijs, & eorum laus instituatur. *Quarto*, Venia abeundi postuletur & sui Memoria, (Filius autē petat paternam benedictionem.) *Quinto*, Offerat se cum obsequijs suis, quod memor velit manere beneficiorū, gratusq; viuere pro ijsdem *Demq*; precetur, vt saluum & incolumem rursus redire liceat.

PRAXIS.

Valedictoria ad Amicum.

Praxis Valedictor:

Ignosces Amicorum optime, si crudelior in vtriusq; nostrū amicitiam esse debeo. Non meę potestatis negotium est, sed eorum, quib. in me fortuna & nondum matura ætas arbitrium concessit Imperiū; vt relicta paulisper Patria, alienas per terras *Vlyssis* colligā vestigia. Durum fateor est, a Patria abire; durius ab eo auelli amico, cujus conspectu frui & colloquijs, nihil ferè in vita dulcius fuit. Sed parendum Maioribus est, qui Fatorum

no-

nobis tabulas prælegunt: Eris mihi Amicus etiam in absentia præsés, & cum oculis Te non potero, animo circumferam; in quo altiùs Te mihi tua beneficiorum argumenta impresserunt, quam ut tempore possis aut reminiscentis animi instdijs obliterari. Alia in Terra viuã, alio sub Sole, sed non alius: semper Idem; semper Tuus ero; hoc in votis laturus perpetuo, vt sicut nunc saluos & tristes separari contingit: ita postliminiò incolumes & hilares conuenisse eueniat.

QVAESTIO IV.

Quomodo construitur Oratio Responsoria ad Valedictoriam.

Respõsoriæ ad Præced.

Respondeo. *Primò*, Explicet caussas doloris concepti propter abitum; si tamen id Valedicentis persona & dignitas patiatur. *Secũdo*, Apprecetur felix iter & felicia omnia; & si de aliquo monendus erit discessurus, moneat. *Tertio*, Polliceatur se ejus memorem fore, petatq; vel imperet mutuam sui memoriam, præsertim autem vt communicatione literarum subinde sibi loquatur.

PRAXIS.

Responsoria ad Præced.

Praxis Respons. Amicum in oculis ferre non posse, grande pectoris Amici vu nus est; & dimidio animæ suæ pr uari, quidni doloris ingens mate ries; abis à me inter Amicos opti mè,& quomodo animum tristiti non vulneres? Itamen felix, siqui dem hæc Majorum tuorum volū tas,cui refragari velle, læsi Numi nis foret piaculum : Eat Tecu fortuna & virtus tua indiuidu passu, eat amor noster, & jam O bem in beneuolentiæ campum nactus, quo fuerit remotior, ho fiat auctior.

Ostendes non dubito, Amice Cœlum non animum ab ijs mut ri,qui trans mare currunt; & le illorum damnabis Amicitiam qui simul exOculis vbi euaserun etiam ex animis euolant.Hęrebi mihi crede,infixus pectori,impr sus animo,& vitā prius, quàm t memoriā amisero. Illud vnicū T meminisse cupio, *Amyclas silēt perysse*:quapropter ne simili ruin noster Amor pessum eat,dulcibu verbis & absente colloquio eu nutrire caue obliuiscaris.

SEN.

SENTENTIÆ HIS MATERIIS Seruientes.

Lætitia loquax res est & ostentatrix sui. (Symmach.)

Bona valetudo maximè diuinum longeque blandissimum est condimentum (Plutar.)

Nihil tam difficile est, quàm differre gaudia: Item, Spem gaudia pariant. (Quintil.)

Amicos incolumes cogitare & intueri; melle frui est. (Sen.)

Sequenti gaudio confert dulcedinem præmissa tristitia. (Cassiod.)

Hospites a Ioue sunt omnes. (Homerus.)

Iupiter est honorator supplicantiũ & hospitum: est hospitalis, qui hospites venerabiles simul comitatur. (Idem.)

Qui fauoris gloriam veri petit, animo laudari magis, quam voce volet. (Sen.)

Dijs thura, hominibus probis laudes debentur. (Socrat.)

EXEMPLA ET ALIA

Suppellex.

Roman. Mos fuit *ApudRomanos* vt matutina Salutatio absolueretur verbo *Auo*; vespertina autem verbo *Salue*. (Al. ab Alex.)

(Idem li.2.c.19.) Ad affabilem Salutationem multum pertinebat suo quemq; nomine salutare: *unde Romani secum habebant nomenclatores, qui ciuium nomina suggerebant.*

Nomenclatores.

Græci. (Ibidē.) Apud *Græcos* verò mos tenuit non proprio sed officij nomine salutare: eos tamen, qui præcipua dignitate imminebant, proprio nomine salutabant.

Modus Salutādi Deos. *Dij salutari debebant capite tecto præter Saturnū*: Et Imperatores aliqui, ut *Caligula* & *Diocletianus* qui diuinos honores affectabant, aperto capite salutari volebant.

Salutādo tangebāt. *Salutabantur etiam Dij dextera osculo & corporis circumactione*: quod & Imperatoribus aliquib. factum fuisse ab Adulatoribus testatur historicus. (Sueton.)

Manus. Genua. Frontem. *Fiebant etiam Salutationes ap-*

pre-

prehensione manuum: Genua etiam osculabantur & frontem tangebāt; eo quod genua sacra sunt Clementiæ; Frons autem sinceritati & Maiestati (Al.ab Alex.)

Romani milites ex more patrio *victrices Imperatorum manus osculabantur.*(Idem.l.2.) *Osculum manus.*

Non solùm *ciues Romani* ingredientes Imperatores post bellum acclamationibus salutabant, *sed & aues edocebant*, ut hæc duo verba *Salue Imperator*: distinctè possent pronunciare.(Pontan.) *Aues salutantes.*

Apud Hebræos & alias gentes viguit mos, vt viris magnis vrbem intrantibus ciues obuiam prodirent cum lampadibus ardentibus. (Suetonius.) *Hebræi.*

Duci *Holoferni* omnes *Lybiæ & Mesopotamiæ* populi cum ramis oliuarum & lampadibus obuiam processerunt.(Iud.c.3.) *Holoferni.*

Magnum Pompeium cum triūpho *Neapolim* ingrediētem, ciues, ornati sertis cum lampadibus exceperunt.(Plut.) *Pōpeius.*

Idē Pōpeius ex morbo recreatus, cum Romam Neapoli venisset, tota fere Vrbs cum palmis ei obuiam processit, floresq; sparsit. (Iustinus.) *Idem.*

Odores. *Mos fuit vt in aduentu Principum Virorum varij semper odores accenderentur.* (Athen.)

Anton. *Antonius Triumuir* cum Arcem *Athenarum* ingrederetur, salutatus est lampadibus ac vniuersis tectis fulgentibus. (Idem.)

Plato. Cum ad *Olympia* semel descendisset, omnes Græci ad eum concurrerunt, relictis ludis: *illumque velut Numen diuinum venerati sunt.* (Laertius l. 3.)

Zeno. Hanc habuit authoritatem *Zeno Philosophus*, ob probitatem morum apud Athenienses, vt dum *Athenis* moraretur hospes. *Ciues apud eum claues urbium deponerent* (Idem.)

Plato. (Idem.) *Platoni Syracusas venienti Dionysius Tyrannus nauim laureatam obuiam misit: è naui autem exscendentem quadrigis excepit, & ipsemet eius aurigam egit:* Summam Platonis Sapiētiam hoc cultu æstimans.

Cæsar. *Iulius Cæsar* cum ab aliquo salutaretur, scintillas ex oculis proijciebat, gaudens se salutari. (Iustinus.)

Alex. M. *Alexander Magnus* à nemine volebat salutari, sed ab omnibus

nibus adorari (Idem.)

Scipio Africanus id sibi nomen comparauerat, *vt prædones etiam adeum salutandum venirent*, felicesque se iudicabant, quod cum videre licuerit: manus eius victrices deosculabantur *& dona Dijs offerri solita in vestibulo eius deponebant*, (V. Max. lib. 2.) *Scipio.*

A *Gadibus* vsque *Romam* aliqui venerunt, vt *Liuium Romanæ Historiæ Scriptorem* viderent & salutarent: Putabant enim ex *Liuij* aspectu meliùs se ueterem Romanorum frugalitatem, fidem, sinceritatemque comprehensuros, quàm ex statuis ædificiorum magnitudine. (Fulgos. lib. 2.) *Liuius.*

(Plutarch.) *Ismenias Legatus Thebanus ad Persas*, ne Regem salutans adoraret, *annulum suum volens deiecit*, & eum suscepturus se inflexit. Applica dicendo te non coactè nec fictè facere &c. *Ismenias.*

(Fulgos. lib. 2.) *Franciscus Sforza Dux Mediolanensis* cum inter hostes aperto capite esset productus, tanta Maiestate eos perculit, vt confestim ex eius conspectu humi procumberent, eumque

genuflexi adorarent.

Ammonis Statua melodiā reddens ad Ortū Solis. *Ammon statuam in Aegypto fabricauit super montis culmine, quæ intus instrumenta musica habuit eo artificio composita, vt quotidie Sol Oriens, cùm per eius statuæ Os radios immitteret, instrumentaq; attingeret, statim elegans melodia audiretur exire de statua, qua & Sol Oriens salutabatur semper, & prope habitantes de præsentia Solis exhilarabantur.* (Strab.)

CAPVT X.

De Orationibus Gratulatorijs.

GRatulari est gaudium testificari, quod concipitur ex felicitate Amici aut cuiuscunq; personæ Gratulamur verò *felices euentus, depulsa pericula, honores obtentos ac dignitates, comparatam victoriam, &c.*

QVAESTIO I.

Quomodo construitur Oratio Gratulatoria?

Primò, Mentio fit felicitatis, quæ illi

illi contigit,& quis hominum inde sensus, quæ lætitia sit, explicatur. *Secundo*. Laudatur is cum gratulatio fit à Maioribus & meritis ac factis & dictis, & à modo, quo ad eum rerum successum peruenit. Quod si victoriam v:g. gratularis, exaggeras eius magnitudinem, celebritatem, iustitiam, fortitudinem item clementiam, vtilitatem perenitatem facti, expectationem aliorum & præsertim adiuncta illa *Quis, quid* &c. per cōparationes & consequentia. Quod si verò honorem gratularis, exaggeras eiusdem honoris amplitudinem etiam ab adiunctis & consequentibus. *Tertio*, Excitamus eum, cui gratulamur ad gaudium super hoc suo euentu. *Quarto*, Optamur, vt imposterum feliciter illi eueniant omnia ad publicum bonum & Patriæ gloriam. *Gratulatoria.*

PRAXIS.

Gratulatoria Festorum Pentecostes ad multos.

Beatissimus ignis, quo melior Christiani orbis portio hoc triduo suc- *Gratulatoria Festorum.*

ſuccenſa incaluit, eccuius glaciale etiam pectus feliciter non reſoluit? & ſiquidem Amoris eſt colliqueſcere, ecuius in vota animum ſcintillare non fecit? Cor enatare in deſideria? Nimirum pudor eſt, in Eloquétia ſterilem eſſe, poſt tam vberem Cœleſtium linguarum pluuiam: quando ab eloquente Cælo *Verbum* prius, *quod caro factum eſt* & modò pro nobili *Verbo* vt ſimul diſerti linguas accipimus. Et potuerit olim felix *Cadmus ex protecta temere dentium ſemente, armatam videre Gigantum meſſem, in ſui ipſius perniciem mutuo certamine ruentium*? non poterit nobiliſſimus Diuini Cordis *Tullius* de proſeminatis ex conſilio linguis enatos Oratores intueri? qui pulcerrimè conflicti mitiſſimè crudeles in mutuæ ſalutis commoda depugnent? Certè ſi vera promentí apud ingenuos fides eſt, meliore ſupra *Catullum voto*, potiore ſupra *Naſonem Metamorphoſi*, totus lingua fieri exopto, vt integram vobis valetudinem totus gratuler; vel vt nobilius vouam, totum verbum eſſe amauerim, vt animi in vos mei propenſionem, perpetua

tua factorum elocutione enunciē: aut denique quod ego & vos manultis, totus Cor fieri, fieri, totus cor viuere desiderio, vt nihil nisi non amare nesciam. Eritis & vos sic credo *Lingua*, eritis *Verba* pectoris mei, eritis *Corda*, & in reciproco amoris duello in victi, vinci vos æternum non patiemini.

PRAXIS ALTERA

Gratulatoria Dignitatis.

Inter oborta dignitatis tuæ gaudia Tibine honorem an Te honori gratulemur, adhuc apud nos in ambiguis est N. Scimus honorem diuturna ambitione talem desiderauisse, qualem Te Indoles tua & virtus pridem fecit: Virum sua fortuna dignum, & huic muneri natum. Sed & hoc ignorare non possumus, te ad illud dignitatis subsellium adscendere, quod auitæ Maiorum tuorum virtuti veluti hereditarium præmium est, in quo sustinendo à multis prope ætatibus ex vestra stirpe alterna fatigatione *Atlanti Hercules* succedit. Redit, crede, nobis hodierna die *Gratulatio Dignitatis.*

in animum N. Diuus auus tuus, cuius in eodem munere prudentia, hæc rectè factorum apud nos vestigia impressit, quæ nulla temporum obliuione possunt eradi. Redit & diuus Parens, eiusque simul & eloquens lingua & strenua manus & beneficiorum in nos omnes ac imprimis in Patriam amplitudo. Redit N. & Frater tuus qui paulò ante hoc solium bene gestis impleuit, quod nunc inscendisti: & si ideo cessit, vt tu succederes, fas est vt dolorem lætitia commutemus; sed quid multa: melius Tu moribus omnes referes, quam nos Oratione, siquidem nobile Maiorum compendium, & viua tuarum Historia nobis relictus es, vt quod sparsim fecerunt omnes, tu vnus feceris. Facies non dubitamus, & ituro in posteritatem exemplo ostendes; *non ab honore Magnates, sed à Magnatibus honorem exornari*: Hoc in læto animorum plausu hodie vouere non possumus, sed à tua virtute iussi, sperare & audemus & debemus.

PRA,

PRAXIS TERTIA.

Gratulatoria Professoris ad Discipulos.

Gratulatio professor. ad Discip.

Nunc demum & ipse clarissimè intelligo, quam *difficile sit Amori & lætitiæ verba reperire* N. Inuictus enim vterque *Hercules*, vbi Cor & Animum possederunt, columnas eloquentiæ figunt, & solemne roboris sui Epitaphium, *Non plus ultra*, audacter obijciunt. Omnem excedunt loquendi potestatem magnitudine & arbitrantur exiguum omne, quidquid sermone potest terminari. Benigniùs tamen nobiscum egit parens natura, quando vultum pectoris Oratorem esse voluit & in verborum deliquio ipsum eloquens fieri silentium. Vnde videre vestrum hic audire sit, & me[illegible] magnitudinem [illegible] lætitudine [illegible] tis, per [illegible] fenestras, oculos & fro[illegible] feliciores *Amomi* Cor inspicite. Quid enim verò amicus in saluo amici aduentu omnem prompserit lætitiam: Vos

Vos dulcissimum amicitiæ nomē Amore in me vestro supergressi, prope ad ætatis meæ iniuriam, velut filij parentem diligitis. Vt vel inde colligere liceat, velociorem amoris cursum esse quàm ætatis; & alios vitæ, alios vrtutis annos computari. Vtinam verò quod vestrum plerisque in votis est, hoc in felici euentu videamur! Vtinam (parcite ambitiosiùs dicenti) æmula *Iouis* felicitate, *de meo cerebro velut totidem armatæ Pallades in orbis decus prodeatis & Ornamentum.* Sed labore hic opus & obstetrice industria, vt mihi laudis vectigal non pereat, vobis desiderium.

Aderunt boni Superi sine dubio aderit is, qui triumphat omnia Iesus, vt abiecto tristitiæ & inertiæ sepulcro in omnis diligentiæ vitam conatus erexerimus: & pia modo non defuerit voluntas ab hac sudoris nocte, à prudentiæ aurora, in perennem lætitiæ & solatij proficiemus meridiem.

QVAE.

QVAEST. II.

Quomodo construitur Oratio Responsoria ad Gratulatoriam? *Respon. ad prac.*

Primo; Explicet lætitiam Responsurus, quam ex Gratulantis affectu percepit, collaudetque eius in se studium. *Secundo*, Extenuet modestè suas laudes: & si dignitatem consequutus sit, dicat se alteri potius aptiori & digniori eam optasse, cui ipse tum ob amplitudinem tum ob oneris magnitudinem non sufficiat. *Tertio*, Gratias agat pro adfectu & sua studia gratulantibus offerat.

PRAXIS.

Responsoria ad gratulationes multorum.

Et nō ingēs mihi lætitię cumulus ad orbis commune gaudium accesserit? quando temporis & Scenę studiosos in pulcerrimum amoris certamen descendisse video N. Ecce amoris ferię sunt, & mutuę gratulationis solemnia; & in occasionem *Praxis Respons.*

nem

nem & humanitatis legem peccatum putauissetis, nisi tot torrentibus, fauoris in me vestri & adfectus studia, non ornatè minùs, quam alter altero copiosius effundere contenderitis. O placidam litem, quia concordiæ! ò dulce bellũ, quia pacis! Et quidni singuli Victores amicum animum meum, tot iam beneficijs victum, tot iam nominibus vestrum, rursus & iterum vniuersi in prędam & triumphum accipitis. Accipite, possidete, triũphate, sed vestri prius victorem, possessorem, triumphatorẽ. Certè fortunam meam venerari debeo, certe virtutem vestram agnoscere qua iam effectum video, vt magis in singulorum animis & cordibus, quam in hoc doctrinæ pulpito me consedisse intelligam magis adfectibus prouehi vestris, quam meis passibus. Sic animorum principi sceptra porrexistis & in tanta cordium classe ad clauũ sedeo. Agnosco, generosa pubes, agnosco nobiles animos, & beneficiorum licet adhuc tenuium, non steriles sinus, de quibus nobilem fructum & regiam messem, amorem & gratitudinem ecce maturè colligo.

Pen.

Pendebis reuera ante pectoris horreum pretiosus laboris mei manipulus: penderis ęternum memoriæ monile: & si quidem te mihi gemmam imprimis, æterno tui testimonio cor meum consignabis. Dixi.

PRAXIS ALTERA.

Responsoria ad Gratulationem Dignitatis.

Ab amici honore in æmulationem non accendi hæc demum verissima amicitiæ tessera est; & ambitione magnarum mentium furia securos viuere, non homines ostendit, sed Heroes N. Optassem ego hoc honore mactatus, ita me veritas, vt Serenissimi nostri &c. & omnium vestrum fauor in alterius potius humeros hanc dignitatem deuoluisset: qui & consilio & manu melius omnium expectationi respondisset & votis. Sed quia Fatorum voluntas me hac felicitate damnauit, mei erit laboris negotium, accurare, vt Serenissimum & vos beneficij non pœniteat. Illud tamen animum erigit

Praxis altera Resp.

git & non exiguam lætitiæ materiem sufficit, quod de vobis bene merendi campum nactus obsequia & studia in vestri commodum cõuertere possim, & in honore publico, publicus omnium viuere, seruus. Quod vbi pro virili enitar; gratia & amor vester, sic credo, mihi nuncqnam defuerit. Dixi.

SENTENTIAE.

Pro Gratulatione dignitatis.

Honor fugientes sequitur, sequentes fugit. (P.Syrus.)

Virtutis umbra honor etiam inuitos comitatur. (Senec.)

Gloria mater annorum. (Bion.)

Ipse honos laborem leuiorem facit (Africano.)

Magistratus virũ ostendit. (Bias.)

Virtutis uberrimum est alimentum honos. (Val.Max.)

Virtutis laus debetur. (Arist.)

Gloria Virtutis pedissequa est. (Tacitus.)

Ab hominibus ijs honor debetur, quos honore Deus dignatus est: (Cedrenus.)

Solis bonis honor debetur. (Arist.)

Honor malis exhibitus in eorum com-

commutatur ruinam. (Gregorius)

Honorem non debet sequi Virtus, sed ipse Virtutem. (August.)

Deijcitur cum eleuatur, qui honoribus proficit & moribus cadit. Gregor.)

Qua in ciuitate non magnus honos virtuti tribuitur, in ea optimus ciuitatis status, stabilis & firmus esse non potest. (Arist.)

Nulla voluptas humana ad diuinam accedit propius, quam ea delectatio, quæ ex honoribus percipitur. (Xenophon.)

Melius est ciuitatem regi à viro optimo, quàm à lege optima. (Arist.)

Magistratus est lex loquens. (Cicero.)

Magistratus est medicus ciuitatis. (Thucydid.)

Præfectum rebus publicis stantem mori oportet. (Dion.)

Velut thus non hominibus sed Dijs competit, ita laus non indignis sed bonis tribuenda. (Stob.)

Magnæ virtutis est cum felicitate luctari. (August.)

Vita breuis est, gloriæ cursus sempiternus est. (Cicero.)

Fax mentis honestæ gloria. (Silius.)

En-

Eximiam virtutem ſponte ſequitur ſuum decus. (Plutar.)

Glorioſis magis placent præconia, quàm tributa. (Caſſiodor.)

Quid eſt dignitas in indigno? ornamentum in luto. (Saresb.)

Quidam honores fugiunt, vt honoribus obuient, ſæpe enim gloria vt adquiratur, contemnitur, & munus vt obtineatur, relinquitur. (Hugo.)

Magni animi ſiunt magnis honoribus. (Liuius.)

Pecunia ex qua in honore eſſe cæpit, verus rerum honor cecidit. (Sen.)

Nullus in fortium Regum pectoribus aculeus, laudis & gloriæ cupiditate acrior eſt. (Guicciar.)

Homicidij genus eſt famam hominis impetere. (Idem.)

Fama vnicus ſapientum theſaurus eſt puriſſima vitę gemma. (Lipſ.)

Nec flāma ſine fumo, nec ſine calumnia fama ſolet ſurgere. (Idem.)

Sola dulcedo gloriæ non ſeneſcit. (Thucydid.)

Sat ero diues ſi nonam famam mihi ſeruaſſo. (Plaut.)

Fructus honos oneris, fructus honoris onus.

Aliæ

Alia pro Gratulatione Victoriæ.

Omnis Victoriæ fructus in eo consistit, si ea bene & rectè vtaris. (Reisuerus.)

Rectè Victoriâ vti clariùs est, quàm viuere. (Plutar.)

Victoria semper est insolens. (Cicero.)

Non ita armis quàm pietate paratur victoria. (Agath.)

Victoriam semel partam prudēs conseruabit Princeps, si securitatem frequentissimum calamitatis initium vitauerit. (Reisnerus.)

Vera est victoria, quæ salua fide & integra dignitate paratur. (Florus.)

Si vis vincere, clementer age. (Fl. Vopiscus.)

Vincere seipsum omnium Victoriarum prima est & optima. (Plato.)

Liberales & humanos esse erga inferiores, præclarum est Ducibus viaticum ad Victorias, ad triumphos. (Gorgias.)

Ratio & consilium sunt propria Ducis artes. (Tacit.)

Quemadmodum egregium est hostem deijcere, ita non minus laudabile infelicium misereri. (Idem.)

Solet Deus his qui iusta & necessaria arma induunt, & belli causa præstant, certam vincendi occasionem proponere. (Paulus Iouius.)

EXEMPLA

Et alia Supellex pro gratulationi Dignitatis,

Templū Honoris. (Alex. ab Alex.) *Apud Romanos Templum Honoris penes templum Virtutis erat,* nec potuit templum Honoris intrari, quin prius virtutis penetraretur.

Statua Honoris. In ciuitate *Polopenei* fuit *Templum Honoris,* in quo *Statua,* eiusdem *præferebat manus sinistra orbem ex saphyro plenum coronis regijs, sceptris, clauis, & alijs dignitatum insignibus: dextera verò statuam Virtutis Chrystallinam gestabat, aureo torque colligatam; à quo hæ literæ auro fusæ dependebant:* TIBI VNI ET SOLI: *(supple, militat honor.)* (Ægesippus.)

Princeps & subditi. (Brison.) *Timon Philosophus* interrogatus, quid interesset inter Principem & Populum, re-

respondit: *Quod inter vnum & omnia:* Omnes enim subditi Principem vnum spectant vnus autem princeps omnibus mores & leges præscribit.

(Cardanus.) *Arcadij in Regum thronis posuere fortunam auream, quæ dextra diadema regium cum Sole, sinistra sphæram Orbis cum lilio tenebat.* Significare volebant eam, qui in dignitate esset, debere ut Solem lucere, vt aurum Rempubl ditare, vt lilium bonis moribus bonos odores spargere. *Arcadij.*



Cum *Pyrrhum* ob præclara gesta milites Aquilam vocarent: *per vos* inquit, *Aquila sum, qui vestris armis velut pennis subleuor.* (Plutar.) *Pyrrhus Aquila.*

Aristoteles præcipuam dicebat esse dignitatem non fungi honoribus, sed ab alijs honore dignum judicari. (Stob.) *Arist. de dignitate.*

Alphonsus Arragonum Rex dicebat, *hos qui alijs præsunt, tanto priuatis hominib. meliores esse debere, quanto honoribus alios præcelleret.* (Panormit.) *Alphons.*

Idem Rex dicere solebat: *Bonus est Princeps, qui subditos suos habet*

in capite: melior qui in corde; possimus, qui in ventre. (Idem.)

Episcopis oblatum quid? Episcopis suis quædam nationes ingressum gratulantes, ex aureis literis componebant & offerebant illas duas voces: *Bonus Pastor*. Alijs flores aureos: *Ambrosio suo Mediolanenses* Apiculam & stellam auream. (Epitom.)

Ciues gratulantes Reges. Cum Regi cuidam recens coronato *Angliæ ciues* gratularentur, offerebant ei: *Primo*; *Aureum lilium & gladium* cum lemmate: Et *pace & cade Tu*. *Secundo*, offerrebant *lanceas aureas*, cum lemmate. *Tu unus, plus omnibus vales*. *Tertio*, *Claues aureas* cum lemmate: *Tecum & intrare, & exire & manere parati*. *Quarto*, Offerebant *ei filios suos & pueros* acclamando: *Et patrum & filiorum & Nepotum Rex esto*. *Quinto*, faciebant *Sertum ex tot flosculis, quot urbes erant in Anglia, & coronantes Regem clamabant, Regno coronaris, viue!* (Genebr.)

Carol.V. (Annales Franc.) *Carolus V.* cum ad aliquam venire ciuitatem de triplici, quærebat quale esset,

hoc

hoc est; qualis esset *Parochus, Præceptor, Prætor*. Putabat enim omnia salua esse, si hi, qui eminerent, sancti & boni essent. Nam *mobile semper mutatur cum Principe uulgus*.

Aegyptij inter gratulandum porrigebant Principi *sceptrum*, quod in imo habuit caput *Hippopotami*, quod Animal ferum est & immite; in summo autem *Ciconiæ* caput auis benignissimæ; vt innuerent, Principem debere esse ferum malis, benignum bonis (Pierius.) *Aegiptij apud eosdem.*

Apud *Aegyptios* eosdem hic mos fuit antiquitus Principem eligendi, eique honorem gratulandi. In aperto campo, vbi coronandus erat Princeps, quærebatur ex eo *Essetne pius?* (Sabellicus.) Et ille tunc manus in Cœlum tendebat. *Secundo*, Quærebatur, *Estne iustus?* & tunc ille frameam eductam ceruici propriæ applicabat. *Tertio*, quærebatur: *Estne liberalis?* Et tunc ille aurum argentumque in vulgus spargebat. *Quarto*, *Estne laboriosus?* Et tunc stiuam a rustico oblatam ad aulam instar arantis deferebat. Ad aulam verò *Mos eligendi Principē. Pius. Iustus. Liberalis? Laboriosus.*

appropinquanti occurrebant *Iuuenes cum ornamentis & insignibus regijs*. Post ingressum autem illius in aulam prodibant *centum iuuenes cum cultris argenteis*, & prospectante Rege è palatio in cultros irruebant dicendo: MORIMVR VT VIVAS.

Centum iuuenes.

Agathocl.

De *Agathocle*, qui ex figulo Rex erat factus, refertur, quod singulis annis suis Senatoribus gratulantibus sibi, ollulas a se factas distribuerit, in quibus hæc inscriptio fuit. *Vilis labor honor Regum*.

Indi.

(Ericius.) Apud *Indos* veteres pridie coronationis, iuuentus in campum effusa expeditis iaculis nummum in sublime projectum ita configebat, vt tota die non decideret: Postridie verò totum nummisma confossum gratulabunda offerebat Regi, dicendo; *Forma Rempubl. sicut pecuniam*. Porro Regum Indiæ munus erat, monetam cudere, in qua hæc inscriptio fuit: *Regis opus, Regis munus*.

Mos Græcorum.

Apud *Græcos* olim mos fuit, vt Princeps electus, adhuc ante coronationem per Prouincias & Vrbes

bes imaginem suam mitteret; quam cum summa reuerentia suspicientes vbique exponebant, & dulci cantu atque acclamationibus adgratulabantur dicendo; *Viuat Rex!* (Sydonius.)

Macedones vltimo Regi suo Perseo gratulantes auream fortunæ statuam obtulerunt, dicendo: Dent superi vitam, nos fortunam. (Politianus in Miscel.) *Macedones.*

Bactriani, anniuersarium Regi suo gratulantes natalem, *Cupressum mortalitatis signum succendebant: Cedros vero & Myrtos immortalitatis Symbola radijs solaribus exponebant, clamando: Pluant vitales Regibus ignes.* (Epit.) *Bactriani.*

Alphonso Regi Castellæ cum gratulabundus Populus acclamaret iuxta morem, *Viuat Rex*. Ipse ad vices singulas respondebat. *Viuat Lex, viuat Grex!* Viuit Lex per attentam sedulitatem, viuit Grex per prouidentiam Regis. (Baden. in Symb.) *Alphōsus.*

Vladislaus Vngariæ & Bohemiæ Reg.Boh. Rex in Symbolo habuit *Obeliscū, Symbolū*

in cuius faſtigio corona aurea erat poſita; ad quam homo alatus enitebatur: Lemma: *Vel ſic enitar*. (Tipotius.)

Eduardi Symbolū. *Eduardus Marchio* habuit in Symbolo laurum iuxta amnem profluentem: deſuper verò in nubibus ſolem: à cuius radijs laurus vrebatur; cum lemmate: *Non aliter*. Significatur, neminem poſſe laurum mereri, niſi virtute Solis illuſtris ſit, & æſtum fatigationis ſuſtineat.

Aegyptij Senatoris figuram. *Aegyptij* hominem in Magiſtratu collocatum ſic exprimebant. *Senem in cuius dextra Sol, in ſiniſtra Horologium* Hinc *Celius Rodig.* inquit, *Eſto ſe horologium, ad quod ſe tota vita dirigat, eſto Sol exemplo & moribus, prælucens*. (Rodig. lib. 5.)

Romani. *Romani ante Magiſtratum faces ardentes præferebant*, vt innuerent Magiſtratum virtute debere prælucere. (Roſinus.)

Iohannes Rex Angl. *Iohannes Rex primus Angliæ*, vt virtutem exprimeret, qua omnibus præluxit, *Montem Aetnam pinxit eructantem flammas*, cum lemmate; PRÆLVCEMVS (Tipoc.)

Al-

Alphonsus Rex Arragonum in Symbolo habuit lumen ardens cum lemmate: *Alijs feruio, mihi consumor*.(Binet.) *Alphons.*

Ludouicus XI. Rex Galliæ habuit in Symbolo *Pellicanum* reuocantem ad vitam sanguine proprio pullos emortuos: Lemma. *Sanguis meus estis, viuite*. (Annales Fran.) *Rex Ludouicus XI.*

Ambrosius Pigapheta in coronatione *Vrbani V.* canem instruxit qui occurreret Pontifici, & se pedibus eius supponent vlulatum ederet per syllabam *V* vel *ur*; Tunc dixit *Pigapheta. Viue Pontifex, te Pontifice canes in oues conuertent, r; tunc que nomen si non exprimendo, certò inchoando celebrare conabuntur*.(Platin.) *Vrbanus V. Pont.*

Ad *Honorij Cæsaris Inauguratio nem in Cœlis melodia audita est, visaque stellæ motu quodam veluti saltu commoueri*. (Claudianus.) *Honorius.*

Exempla & alia suppellex pro Gratulatione Victoriæ.

Epaminondas conspectо ingenti exercitu, qui Duce carebat bono: *O quam magnas*, inquit, *belluas, sed sine capite*.(Stob.) *Epaminõdas.*

Pausan. *Pausanias* quærenti cuidam, quomodo de Thracibus victoria comparari posset; *Si*, inquit, *qui vir optimus est, in bello Ducem eligatur*. (Plutar.)

Agesil. *Agesilaus* quæsitus, quid Ducem belli præcipuè exornaret, respondit; *Adversus hostes audacia & in oblata opportunitate ratio & consilium*; Stob.

Numantini. (Brisson.) *Numantini à Scipione* in fugam versi cum castigarentur à suis, quod toties victos fugissent; respondit quidam: *Pecus equidem, nunc etiam idem est, sed mutatus est Pastor*. Innuens eque fortem nunc esse exercitum, sed Ducem debilem.

Alphons. *Alphonsus Arragoniæ Rex non tam quòd hostes vinceret, gloriari solebat, quam quod didicisset victis consulere. Illud enim fortunæ munus esse, hoc verò semper suum*. (Panorm. l 2.)

Iul. Cæs. *Iulius Cæsar à Pompejo* acie quadam victus cum victor hostes non prosequeretur: *Hodie*, inquit, *penes Hostes erat Victoria, sed non habent Ducem, qui Victoria sciat uti*. (Plutar.)

Frideric. *Fridericus Imperator* debellatis

in

in Hũgaria hoſtibus, dixit ad ſuos: *Magnum opus actum eſt milites, nunc autem maius reſtat, vt ſcilicet vincamus nosmetipſos atq; auaritiæ & vlciſcendi cupiditati frænos imponamus.* (Æneas Sylu.)

Alexander ſuadenti Parmenioni, vt noctu Darium inuaderet, reſpondit: *Malo me fortunæ pœniteat quam Victoriæ pudeat. Et nolo victoriam furari.* (Curt.)

I. Cæſar deuictis hoſtibus hoc ſibi ſcripſit encomium, VENI, VIDI, VICI, *Et Carolus Imperator* dixit: VENI, VIDI, VICIT AVTEM CHRISTVS. (Phil.Camer.) *Cæſar Carolus.*

Timolion Corinthius cum in Templo Delphico Appollinem de victoria conſuleret, Corona, quæ inter donaria pendebat, in caput illius tam aptè incidit, ac ſi manu imponeretur; quod omen Victoriæ fuit. (Fulgoſ.l.1.) *Timol.*

I. Cæſar cum in Africam exſcendens corruiſſet, omen in melius vertens exclamauit: Teneo Te Africa. (Sab.l.9.) *Cæſar.*

Alex. M. cum obſideret Tyrum, videbatur ſibi videre Herculē à Tyriis maximè cultum, qui ſibi è muro manum porrigebat: Vnde omen *Al.M.*

victoriæ cœpit & uicit.(Idem.)

Sylla. Primo bello aduersus *Marium Sylla* vidit *à Pallade* sibi fulgur dari, monerique vt eo telo hostes peteret: *Marium* igitur igne & ferro patria expulit. Idem deinde contra Marij filium pugnaturus, vidit *Marium patrem monere filiū ne* postridie cum *Sylla* confligeret eo quod illa dies sibi infausta fuisset. (Fulgos.)

Iudas Maccab. *Iudas Maccabæus* antequam confligeret cum *Nicanore Regis Syriæ Duce*, vidit in somnijs *Oniā* pro se orare, & quod *Ieremias Propheta* gladium sibi aureum contra hostes porrigerret. (Fulg.)

Celtiberi. (Theophrastus.) Apud *Celtiberos aqua Scyphus*, ante Ducem belli portabatur, & vocabatur *poculū fortunæ.* Si ergò aliquid aquæ casu effunderetur, pro malo omine id fuit interpretatum: quod si ex inaduertentia scyphus è manu decidisset, desperabant omninò & se hostibus ultro subijciebant.

Mithrid. *Mithridates Rex Pōti* deuictus *à Pōpeio* sic solabatur: *Omnis mihi etiam aduersa fortuna cuius author Pōpeius est, tolerabilis est, nec enim turpe est ab eo vinci, quē uincere esset nefas:*

nefas: neq; inhonestum ei se submittere quem fortuna supra omnes extulit. (Paterculus.)

(Camerar. l. 5.) *Carolus V. Rex Hispaniæ* occupauit castra Ducis Brunsuicensis, & miles eius statim etiam castra diripuit: Cecidit Dux ad pedes Regis supplex, vt satis haberet accepisse castra & vicisse; vitam relinqueret militibus & aliã supellectilem, respondit *Carolus* *... castra ejus rastra* Hoc est, qui castra accepit, omnia potest radere & accipere. *Carol. V. Rex.*

Alphonsus Rex Castellæ dicebat: *Probos milites gemina manus armat, fortis & iusta: fœdifragos terna exarmat, perfida, pia, strenua,* (Auentin. lib. 5. Ann.) *Alphons.*

Cabrias Dux Atheniensium dicere solebat: *Se malle exercitum Ceruorum Duce Leone, quam exercitum Leonum Duce Ceruo.* (Marl.) *Cabrias.*

Ludouicus Burgund. Rex Contra Cæsarem bellum mouit: sed captus ab eodem iurauit se amplius illi bellum non illaturum. At liberatus denuo cum maiori exercitu venit, sed iterũ victus omnia perdidit. Insuper oculi illi eruti sunt, & in fronte ab aure ad aurẽ hę li- *Ludouic. Rex.*

terae

teræ ferro impressæ: *Hunc seruauit Clementia perdidit perfidia.* (Fulg.)

Cimbri. *Apud Cimbros* contra perfidos quatuor cohortes educebantur: *prima erat Puerorum, secunda Iuuenum, tertia Virorum, quarta Senũ.* Sed primæ tres tantum spectabant prelium Quarta autem cohors pugnabat. *Putabãt enim debiles vires sufficere ad hoc vt perfidi vincerentur.* Nam perfidia deseritur à Deo, & ideo eneruis est. (Polit. lib. 5.)

Philippi Magnet. dextera. (Patric. in Eth.) *Normantici Galliæ vrbem* obsederant & iam occupauerant armamentarium. Inaudiuit hoc *Rex Philippus*, & ad turbatos ciues scripsit: *ne timueritis, mox aderit vobis dextera magnetica*; Venit & castra metatus supra castra magnetem in monte posuit & ecce gladius cuiusdam Normãtici per aera ad Magnetem volat: quod videntes aduersarij conturbati, se suaq; omnia *Philippo* subdiderunt. Retulit, tunc Philippus tale Elogium: *Philippus Rex vtitur in bello dextera magnetica in pace aurea.* (erat quippe liberalis.)

Sceptrum (Pausianas in Bœoticis) *Cheronenses* habuerunt aureum sceptrũ instar hastæ à *Ioue* donatum *Pelo-*

pi

pi, quod hanc prærogatiuam habuit, vt quoties exercitus tumultuaretur, Rex solo sceptri attactu tumultum sedaret, si victa pars fureret & discordaret eleuatione sceptri concordiam faciebat; cum defecit pecunia, dona sibi oblata cuiuscunque materiæ, tactu sceptri in aurum mutabat.

CAP. XI.

De Oratione Gratiarum Actoria.

Gratias agimus pro beneficijs vel publicis vt Regi & Reip. vel priuatis, vt Patronis, Amicis, Benefactoribus, &c. Vtrobique idem artificium seruandum.

QVAEST. I.

Quomodo construitur Oratio gratiarum Actoria.

Primo, Mentio fiat accepti beneficij. *Secundo*, Exaggeretur hoc beneficium à circumstantijs personæ dantis & accipientis, loci, temporis, modi & alijs itaut extenuetur dignitas accipientis; amplificetur

tur

tur autem gratia dantis dicendo sufficientes gratias agi non posse, optando vocem & eloquentiam multiplicem. *Tertio*, Fiat gratiarũ actio humilis & sincera, item promissio gratitudinis & curę, vt illud munus ad honorem dantis vel publicum bonum cedat. *Quarto*, subiungatur petitio, vt in gratia seruetur.

PRAXIS.

Gratiarum Actoria pro Dignitate collata.

Gratiarũ Actoria. Si mihi centum Linguas, ex veteri Poetarum voto hodie natura donauisset: aut si iucundiori Metamorphosi totus mens, totus lingua fierem, nondum ego beneficij magnitudinem, quo me amplissimè cumulauisti, *Regum Serenissime*, vel eloqui possem, vel complecti: Num & me vnum è tam nobili illustrium virorum collegio, electum esse, in quem regium animum tuum beneficentiã grauem deponeres & supra vota mea imo & ultra merita hoc insigniri honore, quantum amoris & re-

regię gratię argumentum? A teneris quidem ad hoc paternis præceptis imbutus vixi, vt tibi seruire & ad tuos nutus obsequijs promptissimè currere, supremam iudicauerim fortunam: nec viuere iucundum foret, nisi Tibi viuerem: sed quanti apud eum studia tua ponderis esse conuenit, cui vitam debeas, & omnia, quæ cum vita mortales acceperent; Quamquam & hæc si tuleris, & forte tua minus & maiestate tua inferius obsequium obtulisti. Habetis hoc, habetis, *Serenissimi Terræ Soles*, iam experientia disco, cum illo Planetarum Rege commune, vt quicquid à nobis, velut Inferioribus Regni elementis studiorum accipitis, vberiori fœnore refundatis; nos vmbras aspicitis, vt illustretis: nostra obsequia exigitis, vt benefaciendi campum nacti eam, quam Maiestas imposuit, necessitatem decurratis singulis prodesse. Quid verò huic animi regij in me propensioni possum, nisi humilibus verbis humiles gratias reddere: nisi fortè mea meorumque studia, sicut indignitatis meritum, ita in meriti stipendium suscipis.. Certè

Certè si dati beneficij qualiscunq; solutio est accepti perennis confessio non ingratos non morituros sanctissimè pollicemur. Permittet enim benignitatis tuę facilitas, nos vel nubium mutuam gratitudinem æmulari quæ eodem, quod à Sole acceperunt lumine, plures in se Solis imagines depingunt, vt à quo splendeant Orbi demonstrent & nos amorem regium, quo nunc insigniti viuimus, latè per Orbem & Orbis famam portabimus: dicemusque natis, narrabimus posteris vt consequentium sæculorum memoria sciat, cuius stellæ simus, cui Soli lucem debeamus. Dixi.

SENTENTIAE.

Hic cumprimis Seneca de beneficijs legendus, nam in hac materia vnus Seneca pro multis valet.

Sine gratitudine nec thus nec myrrha Deo placet. (Trismeg.)

Beneficia sunt voluntatis compedes & aurea catena, quibus animus ligatur & trahitur. (Prou. com. Latin.)

Qui in graui periculo succurrit, vel magno aliquo beneficio alium afficit,

ficit, Dei vice fungitur: & ei cui prodest, Deus est. (Cicero.)

Iusta caussa est lætitiæ lætum amicum videre, iustior fecisse. (Sen.)

Referre non potest gratiam nisi qui meminit, & qui meminit iam refert.

Statim gratus est, qui se onerat, id est, qui promittit gratitudinem.

Eodem momento quo obligatus es, si vis cum quolibet paria fecisti, quoniam libenter qui beneficium accepit, reddidit.

Non necessitatibus tantum nostris prouisum est, sed vsque in delicias amamur (*nempe à Deo.*)

Mundus est domicilium hominis, cælum autem tectum, aliter die aliter nocte splendens.

Beneficium aspere datum lapidosus panis est.

Ingentia beneficia sæpe traditas corrumpit.

Bis dat, qui citò dat.

Illud beneficium iucundum, victurumque in animo scias, quod obuiam venit.

Tempore quædam magna fiunt, non summa.

Ingens beneficium est vnus in fame panis.

Gra-

Theophr. Gratia sine pœnitentia esse debet.

Innocent. Pontif. Mus in pera, serpens in gremio, ignis in sinu, male rependunt gratiam hospitibus.

Vulg. Sent. Gratia tarda ingrata est gratia.

Plaut. Si quid benefacias leuior pluma est gratia.

Festus. Post munera cito consenescit gratia.

Immortales sunt gratiarū horti.

Aristot. Prouer. Lat. Beneficium da cæcus, accipe videns.

Domus beneficia, nō fœneremur.

Dignus est decipi, qui de reddendo cogitabat, cùm daret.

Magnanimi & boni proprium est, non fructum beneficij sequi, sed ipsa beneficia.

Multo gratius venit, quod facilè quàm quod plena manu datur.

Quod voles gratum esse, rarum effice.

Nemo libenter debet quod non accepit sed expressit.

Nulla res carius empta est quam quæ precibus empta est.

Molestum verbum & onerosum & demisso vultu dicendum Rogo.

Exorari in perniciem sæua bonitas est.

Rogantibus pestifera largiri blandum

dum & affabile odium est.

Non committe vt possit aliquis quandoque arcere: Hic me amando occidit.

Ante des oportet arbitrium mihi, deinde beneficium.

Nō est beneficiū, debere cui nolis.

EXEMPLA ET ALIA

Suppellex.

Poetę & antiqui *tres Gratias* finxerunt, cùm ob multas caussas, tū ob hanc in meminerimus gratiam memoria tenere, ore laudare, obsequijs demereri. Pinguntur etiam *iunctis manibus*, quia beneficia mutuo redeunt: *Ridentes*, quia benefacientium vultus hilares esse debent; *Virgines*, quia sincera & sancta; *Tres* quia tria genera beneficiorum sunt; *promerentium, dantiū accipientium & reddentium simul*. *Gratiæ Tres.* *Manibus iunctis Ridentes. Virgines.*

In manu *Delphici Apollinis tres Gratiæ* insidebant, quarum *una Lyram; altera tibias, tertia fistulas* habebat: Innuebant scilicet, *Gratias*, si veræ sunt, vocales esse & beneficium acceptum vbique canere. Aut beneficium si alio non possit, debere saltem compensari, *Gratiæ Vocales.*

ce-

celebratione. (Pierius.)

Rosa Symbolum. *Gratiæ* Symbolum olim *Rosa* fuit. Forte quia vt illa scarabæum necat, ita hæc ingratitudinem. (Idem.)

Cart. Pythag. *Pythagoras* quæsitus quomodo homines possent Dijs similes viuere, respondit, *si veritatem amplectantur & omnibus benefaciant.* (Aelian.)

Alex. munific. *Alexand. M.* cuidam dono dedit Vrbem, qui inuidiam fugiens, dicebat id non conuenire fortunę suæ, cui *Alexander: non quæro quid te accipere deceat, sed quid me dare.* (Sen. de Benef. lib. 5.)

Annaxilaus. *Annaxilaus* quæsitus *quid in regno esset beatissimum*, respondit; *Non vinci beneficijs.* (Phauor.)

Simonid. *Simonides* roganti cuidam, vt sibi encomium scriberet, se gratias pro eo relaturum; respondit: *duas arcas domi habeo, vnam gratiarum, alteram argenti; & cum me premit necessitas, gratiarum quidem arcam aperio; sed inanem reperio: alteram solùm mihi commodam experior.* (Stob.)

Fontinal. *Varro* dicebat, *qui aquam hauris, fontem corona.* Allusit ad consuetudinem Romanorum, qui *in Festo*

to Fontinalium solebant fontes co-
ronis redimi.(Varro)

Non erga homines tantùm sed
erga belluas grati fuerunt *Athen.*
Nam decreto sanxerunt vt Muli ,
qui egregiè diu laborarunt, vincu-
lis soluti libere pascerentur , ad
mortem.(Rodig.)

Russorum Prouerbiũ est vulgare;
etiam sacarum non bono animo
datũ in absinthiũ vertitur.(Prou)

*Pomp.Dux Rom.*dum Victor re- *Pompon.*
diret, *Pyramidem* illi triplicem ex-
struere volebant filij,cumq; ille ro-
gasset ne facerent,illi, *cum tres po-
suissent, Pugnatori,Victori,Trium-
phatori*,etiam *quartam Contempto-
ri Pomponio* exstruxerunt. (Epit.)

Agesilaus Rex cum *Apellem* *Agesilaus*
egrotãtem visitasset,puluinar sur-
rigere fingens,decumbentis ceruí-
ci cautè aurum supposuit, non
multo post Regis discessum, adue-
niens puer, amoto puluinari, dum
lectulum sternere vellet,aurum
reperiens exclamauit: *Vide Domi-
ne,* quid in lectulo tuo repererim;
At *Apelles* silentium ei imponens
dixit:*hoc est furtũ Regis*;mox intulit
Puer ; *Quid? benignitate motus vo-
luit tuæ inopiæ subuenire & furtum*
dicis

dicis tūc *Apelles:Optime dixi: quia Rex hoc munere Cor meum furatus est & perpetuo me sibi addixit*; Sciebat enim *Agesilaus multò præclarius esse, alios ditare, quam ditari, & nil gloriosius quam beneficium apud bonos viros depositum*.

CAPVT XII.

De Orationibus Petitorijs, Commendatorijs & Exhortatorijs.

QVAESTIO I.

Quomodo construitur Oratio Petitoria.

Primo, Solet fieri communiter accessus velà commendatione liberalitatis, eius à quo petis: vel ab extenuatione petentis; vel ab exaggeratione meritorũ præsertim pro alijs intercedimus, velà refutatione eorum, quæ in petitione suspecta esse possunt: vel à deprecatione audaciæ seu professione verecundiæ, quod sine meritis ad petendum accedat, &c. *Secundo*, Exprimitur postulatum. *Tertio*, Subijciuntur rationes, quæ, quod petitur, persuadent; Hæ autem rationes accipiuntur communiter, vel ex persona dantis vel petentis, enumerando scilicet merita

ta ejus & maiorum vel etiam sumuntur a necessario, a facili, a glorioso & reliquis rei petitæ adjunctis. *Quarto*, Promittitur perpetua beneficij memoria, exprimitur spes de obtinendo petito concepta, & obsequia offeruntur.

PRAXIS.

Petitoria Dignitatis à Rege.

Et ego ad pedes munificentiæ tuæ cum precibus supplex aduolnor, vt beatior surgam; & in hac felici ruina ac Majestatis tuæ umbra, fortunæ meæ lucem & fastigium inueniam. Scio petentium desideria, regijs animis theatrum gloriæ sternere: & iniuriam eos infligere Principibus, qui necessitate pressi, ad has publicæ salutis Aras, vel vt verius dicam, ad hos tutelares Deos accedere erubescunt: Siquidem regiæ manus, diuini fontes sunt, quibus latissimè beneficia in nos & Rempubl. dimanant. Certè vt *Pharus* in æquore laborantibus inter pericula nautis viã ostendit, qua securitatem inueniant, ita liberalitas Principis, si-

Petitoria dignitatis.

num Principis; in quem uota no. ſtra velut portum confluant, vt ditiora redeant. Audiuimus lamẽ. ta Regum, *dies ſibi periſſe conque. rentium, quos cum nulla beneficÿ linea ſignauiſſent, neque ſe uixiſse arbitrabantur:* Quia ut ſoli lucere, ita Regibus benefacere natura eſt. Et tua in Nos *Seren, R.* ſubditos humanitas & Maieſtatis tuę inſignis facilitas, ideò in virtutum Regiarum exercitu altius eminent; ne a conſpectu tuo a magnis aliorum corporibus, minorum neceſſitates præpediantur. Quid mirum igitur ſi hac Maieſtatis tuæ beneficentia, prouocatus, eum *N, Dominum* ſatis conceſſiſſe accepi, eius honoris hæres fieri ex nutu & beneuolentia *Seren. Maieſt.* ſupplicem? In manu tua *Seren. Rex* fortunam meam voluis, velis tantum & leuaſti: reſpice & ſerenior ab eo. Forte mea & Maiorum merita aliquis hic exegerit? *ſed petere beneficium ueni non licitari: impetrare non exigere*: Omniaque quæ aut mei aut ego pro *Republ. pro Sereniſs, Maieſtate tua* fecimus, obliuiſci malimus quam producere: parati & vitam ponere, ſi Patriæ neceſſitas, ſi

voluntas S. M & Amor jusserit. Gratiam & fauorem Regium peto non debitum: cuius vel vno radio, si me nunc beaueris, perennes seruitutis compedes animo meo injecisti. Dixi.

SENTENTIÆ.

Pulcher thesaurus collatum beneficium. (Menan.)

Benefacere homini est magnum beneficium apud Deum deponere. (Sidon.)

Liberale officium serere beneficiũ vt possis metere fructum. (Cicer.)

Principum dona sunt auctoramenta seruitutis. (Demost.)

Ficus non florent & fructus habent dulcissimos; & quidam benefaciunt, non promittunt. (Plutar.)

Extra fortunam est quicquid donatur amicis,
quas dederis solas, Semper habebis opus, (Martia.)

Princeps liberalis amicos ex hostibus, ex alienis suos, ex infidis fidos faciet. Iouian.)

Melius beneficijs custoditur Respublica, quam armis. (Idem.)

Beneficium dignis vbi das omnes

obligas. (P. Mimus.)

Plures honorare est multos ad bene merendum prouocare. (Demost.)

Beneficium & gratia sunt vincula concordiæ. (Cicero.)

Thesaurus pulchrè pulchrè collata gloria. (Eurip.)

Tunc solum pretiosa est pecunia, quando vsu largiendi desinit possideri. (Boetius.)

Beatissima dos in Principe Liberalitas & clementia. (Pomp. Læt.)

Corpus alimento nutritur, animus nobilis, laude, honore, præmio; (Xenoph.)

Multo præclarius est beneficiorum quàm trophæorum relinquere memoriam. (Idem.)

Præmia bonorum malumq; bonos malosque faciunt (Plin.)

Liberalitatis aureum semen producit auram fauoris, ex qua prodit messis honoris. (Sophocl.)

Nutriunt præmiorum exempla virtutes (Plin.)

Pauperib. vno educandi ratio, bonus Princeps. (Idem.)

Auaritiæ fuga & liberalitatis gratia Regum gloria est & Regnorum firmamentum, (Arist. ad Alexan.)

EXEM-

EXEMPLA

Et aliæ Eruditiones.

Crœsus cum diuitias iactaret coram Legatis exterorum; *Legatus Aegyptiorum quæsiuit, quis thesaurus omnium vtilissimus esset?* Cui Rex: *Liberalitatis,* respondit, *thesaurus precedit aurei gemmarumq; thesaurum.* (Plutar.) *Crœsus.*

Iacobus II. Arragoniæ Rex Ceruã alatam pinxit cum cornibus aureis inscriptio: *& auro & celeritate.* Innuebat Principes debere esse liberales in dando, & celeres in agendo. (Typocius.) *Iacob. II. Arrag. Rex.*

Aurelianus Imperator cum à suis quæreret, *quò pacto Imperium bene regi posset,* respondit quidam: *auro & ferro,* id est, liberalitate seu manu liberali & forti. (Zonaras.) *Aurelian.*

Ptolomæus Rex incredibiliter delectabatur, si à feditatos videret, & dicere solebat: *Magis esse regium ditare quam ditescere.* (Coker.) *Ptolomeus.*

Alexander M. disputans inter Philosophos, de felicitate rogatus sententiam dixit: *Nihil beatius esse quàm donis multos & oneribus* *Ale. M.*

sibi obstringere. Gloriabatur itidem sibi à natura datum esse, quod nulli cederet in beneficijs. (Idem.)

Rex Indiæ *Indorum Rex* quispiam occurrẽs *Alexandro M.* dixit: *Prouoco Te non ad pugnam nec ad bellum, sed ad aliud certaminis genus; Si inferiores, à nobis beneficia accipe; si superior nobis benefacito:* Ita ab Alex. M. regnum obtinuit. (Plut.)

Augustus. *Augustus Imperator* adeptus Imperium *nihil se magis gratulari dixit, quàm quod illum gradum conscendisset, ex quo omnib. benefaciendi facultas daretur.* (Dion.)

Dionys. *Dionysius siculorum Rex* ad filiũ ingressus cum magnam vim cęlari argenti in mensa vidisset: *Fili,* ait, *non est in Te regius animus, qui his omnibus neminem tibi amicum fecisti.* (Plutar.)

Cimon. *Cimon Atheniensium Princeps adeò ad dandum promptũs fuit, vt & prædia, quæ plurib. in locis habebat, sine custode habuerit, ne quis ita impediretur, qui vellet suis bonis frui. Illum etiam euntem semper famuli cum nummis sequebantur, vt si quis eius ope indigeret, statim haberet quod daret.* (Plutarch.)

Sol. *Epictetus* monet, sicut Sol preces & blan-

& blandimenta non exſpectat vt oriatur ſed ſponte ſurgit, & ab omnibus ſalutatur; ſic tu nec plauſus exſpecta nec laudes vt benefacias, ſed ſponte benefac & pariter vt Sol omnib. eris gratus. (Stob.)

Theodoſij Imperatoris tam certa fuerunt beneficia, vt tum accepta viderentur cum ſponderet. (Pacat. in Paneg.) *Theod.*

Maximilianus I. moris habebat dicere; *Charitas non exſpectat preces egentis, ſed vbi neceſſitatẽ videt, ante preces praeuolat.* (Reiſner.) *Maxim.*

Thomas Briecotus Doctor Pariſienſis, vt Franciſcũ I. Galliae Regẽ liberalẽ nimis admoneret, in ſolemni eius inauguratione laudans caeteras virtutes, manus *eum* ſimiles *habere dixit,* D. Franciſci manib., *hoc eſt; ſtigmata habere eum in manib. ſeu tenebratas manus per quas omnia effluant; Et ideo timendum, ne Regnum ad paupertatem Franciſcanam deduceret.* (Cokerus.) *Franciſc. Primus.*

De *Alexandro Seuero Caſare* hoc ſcriptum extat Elogium: *Dies nunquam tranſiit quin aliquid manſuetum, ciuile, pium faceret, ſed ita vt aerarium non euerteret.* (Apud Lampp.) *Alexãd. Seuerus.*

Robert. Capetis filius melle paupe res humanißimè semper fouit eisq; iumenta præbuit, vt se quocunq; ire sequerentur, ac pro se vota facerent Eo nemo aut felicius aut tranquillius imperauit. (Bodi. & Cokerus.)

Ludouic. *D. Ludouicus* 100. & 20. pauperes habuit, qui eum vbiq; sequebãtur & eodē quo ipse victu sustentabãtur: diebus verò Quadragesimę numerum duplicabat. (Idem.)

Ludou. V. *Ludouicus V. Rex Scotorum* obliberalitatem pręcipuè in egenos cognomentum accepit, vt *Pater pauperũ* vocaretur, & hunc titulũ prę alijs charissimum habuit. (Idem.)

Archel. *Archelaus Macedonum Rex* cũ ab eo poculum aureum quidã peteret: ipse iussit vt minister illud *Euripidi* daret, petẽtemq; intuitus, *Tu quidem*, inquit, *dignus eras, qui peteres & non acciperes: hic verò dignus est, qui accipiat & non petat.* (Plutarch.)

Ale. M. *Alexander M.* quæsitus vbinam suos thesauros haberet; *Amicos ostendens, hi*, inquit, *liberalitatis meæ scrinia sunt.*

Seuerus. *Alexander Seuerus* Imperator singulorum nomina, quibus aliquid præstitisset descripta habuit: qui

qui nihil aut parum petijssent eos appellabat inquiens: *quid est cur nihil petis? num me tibi vis fieri debitorem? pete ne priuatus de me queraris.* (Seuerus.)

Agapetus Iustiniano Imperatori sic scripsit: *Vestimentum non veterascens est beneficentiæ amictus & incorrupta stola erga pauperes. Eum igitur qui piè regnare vult talium indumentorum pulchritudine animum oportet exornare; Amoris enim in egenos qui indutus est purpuram cœlestis quoque candidatus est Regni.* (Cocker.) *Agapet.*

Carol. V. Imperator vt Peruanam Prouinciam sibi reconciliaret, misit eo Nobilem, eique plures chartas puras & à Scriptura vacuas dedit, solo nomine suo imperatorio notatas, eo consilio vt quisquis priuilegium aut munus aliquod peteret iam impetrasset illud, si in hac charta virgine, hoc scripsisset. (Drexel.) *Carol. V.*

Menecrates ea conditione sanabat gratis plurimos, vt veste ab eo accepta eius se clientes & ab eo sanitatem acceptam faterentur ubique (Plutar.) *Menecrates.*

QVAESTIO II.

Commendator. *Quomodo construitur Oratio Commendatoria?*

In hac Oratione petimus aliquid, alicui commemorãdo ea, propter quæ videtur dignus vt accipiat. Hæc pũcta seruãtur: *Primo*, vel liberalitatẽ eius aut amorẽ extollimus, apudquẽ commendamus: vel necessitudinẽ nostram cum eo exponimus: vel etiam eius amicitiã quem cõmendamus cum illo vel nobiscũ explicamus. *Secundo*, Laudatur is qui commendatur, a meritis, a studijs obsequendi, a dotib. naturæ, a virtutib., &c. *Tertio*, Ponuntur rationes suadentes vt commen datum habere velit. Sumuntur verò hæ rationes vel a necessario, vel ab vtili, vel ab honesto, vel alijs adiunctis. *Quarto*, Petitio adhibetur & promissio tam suorum obsequiorum quam commendati.

Hæc oratio ferè in omnib. cum petitoria conuenit, nisi quod hic alteri petamus, ibi nobis: ideo & praxis specialem difficultatem non habens, frustra nobis remoram hic obiecerit.

QVAE-

QVAESTIO III.

Quomodo construitur Oratio Exhortatoria. *Exhortator.*

Ignea hæc Oratio tota esse debet & ardere, quia in illa auditores stimulamus, vt omni periculo contẽpto, omni abiecta ignauia animũ assumere velint, & hoc quod opportunũ est nõ negligere. *Maximè vtilis est exercituũ Ducib.; qui ante prælium suorũ militũ animos debent incendere.* Hæc pũcta habet. *Primo* laudantur eorũ virtutes, quos exhortari debemus, spes egregias de illis præferendo, quod scilicet stimulis ad honesta non indigeãt: vel necessitas pręsẽtis periculi graphicè describitur: vel ex abrupto hostiũ ferocia aut ignauia exaggeratur. *Secundo*, Rei, ad quã exhortamur facilitas, vtilitas, honestas, gloria ostenditur; & quod damnũ, quę infamia sit secutura nisi faciamus. *Tertio*, Adhortatio ardens fiat ad id quod volumus, cõmemorando Maiores nostros & eorũ exempla in simili negotio, Dei honorẽ, expectationem omnium omnia etiam bona de euentu futuro.

V 6 PRA.

PRAXES huiuſmodi Orationum nobiliſſimas habes apud *Liuium Caluſtium, Curtium* & alios; Excellunt præ alijs quas *Catilina* ad ſuos commilitones habuit; & *Darius* ad ſuos pugnaturus in *Alexandrum Magnum*.

CAPVT XIII.

De Electione Officialium ac Magiſtratuum.

EST apud pleroſque conſuetudo *Officiales certos ut Conſulos, Iudices, Secretarios* &c. eligendi liberis & votis ſuffragijs; quod etiã ſine Orationibus perfici non ſolet. Sit ergò.

QVAESTIO I.

Quomodo eiuſmodi Oratio conſtrui ſoleat.

De Electione. *Primo*, Cõmuniter ipſius officij dignitas, poteſtas & ea quæ officiũ comitantur, exponuntur & exornantur *Secundo*, Laudatur is cui tua ſentẽtia ſuffragaris, tũ à meritis, tum à morib., tum à virtutib., tum ab illis maximè quæ ad hoc officium, ritè obeũdum conferũt. *Tertio*, Concluditur vel per iteratam commẽdationem aut petitionem, vt huic Officio ſuam operam

ſub-

subtrahere nolit; vel per interpretationem eiusdem sententiæ in alijs de illo, vel per augurationem publici boni, quod ex illius electione proueniet; vel per expositionem expectationis omnium de illius virtute.

PRAXIS.

Si de singulis hominum factis absque errore iudicare difficile est, multò sanè difficiliùs est, de eo decernere aliquid, cui iudicia & Tabulæ fatorum humanorum committendæ sunt. Qua enim ibi singula in periculum veniunt, in hoc consilio omnia velut agmine facto in vnum periculum coniurant. Dicenda est aliquando sententia de vnius hominis aut facultatibus aut vita: at hic simul de omnium opibus & incolumitate dicendum est, & in vnius officij æqua & iniqua collatione omnium bonorum iræ improborumque rationes aut summo malo aut pari bono di judicandi veniunt; *Iudicem nimirum eligimus*, id est, *iustitiæ Antistitem*, qui æquum & iniquum discriminet; qui innocentiam à violentia tueatur, qui iniu-

Praxis pro electione iudicijs.

rias

rias arceat: qui viuum velut Oraculum omnibus nobis fatum prælegat, qui de fortunis & vita decernat. Omnes igitur quorum caussæ ad huius tribunal deuoluētur, de quorum dignitate, honore, nomine deinceps certabitur, supplices in hoc consensu se mentibus nostris præsentant atque à nobis exorant ne eorum vestrasque fortunas alicui ex ijs committatis, cui *iudicialis sedes Messis aurea campus cum Græculo quodam audiat, & qui defalcatis calamitosorum fortunis, auaritiæ suæ & cupiditatis horrea explere laboret*. Eligendus ille est cui aperta caussa est & æquitas, cui clausa pro tribunali arca sit. Nam vt *Poeta* ait:

Non bene selecti Iudicis arca patet.

Eligendus ille qui *Iudiciale officium agnoscat esse miserorum Asylum*: maximeque illud euitet, quod vulgari verbo circumfertur, *Iudicium nihil est nisi publica merces*. Porrò hunc esse *Dominum* N. non ego affero, sed virtus, sed Doctrina & animi Candor indicant; Vos *Domini* N. N. verborum non expectata assertione, ex factorum

meritis, de dignitate merito huic conferenda cogitare. Meminit hic *moniti Philosophici, in Magistratu non ditiorẽ hominem sed clariorẽ fieri debere*. Meminit & illius proborũ cautelæ, *ita Leges tractandas esse ne iudices cum alios absoluunt se condemnent*. Spero itaque fore, vt si meæ suffragati opinioni successeritis, Patria vniuersa atque omnes boni cupitis bonis perfruamur.

SENTENTIAE.

De Iudicio.

Tam diu iudex dicitur, quamdiu iustus putatur. (Cassiodor.)

Ignorantia & malitia Iudicis plerumque est calamitas innocentis. (August.)

Non bene selecti Iudicis arca patet. (Ouid.)

Si Iudicas cognosce, si regnas iube. (Seneca.)

Sublata Iustitia quid sunt imperia nisi magna latrocinia. (Augustin.)

Ergo iudicium nihil est nisi publica merces. (Petronius.)

Semper

Semper iniquus est Iudex, qui aut inuidet aut fauet. (Cic.)

In iudicando criminosa est celeritas. (P.Syr.)

Summum ius summa iniuria. (Cic.)

Graue iudicium est, quod praeiudicium non habet, id est, quod nouo exemplo fit, aut ad nouam normam. (P.Cyrus.)

Graue praeiudicium est quod iudicium non habet, id est quod nullus iudex sequitur vel propter crudelitatem vel propter timorem. (P. Mimus.)

Malo iudice nullum est venenosius animal: (Petrar.)

Iudicis vox legum vox est, & ipsius iustitiæ. (Idem.)

Cunctator esse debet, qui iudicat de salute. (Cassiod.)

Gladius conditur, vbi aurum suscipitur. (Idem.)

Malum iudicium omnis mali caussa est. (Stobæus.)

Pœnam si tuto potes donabis, sin minus temperabis. (Senec.)

Non est Princeps supra leges, sed leges sunt supra Principem. (Plinius in Traiano.)

Tantum valent leges quantum vo-

volunt Reges. (Pessima vox est.)

Tantum valent Reges quantum volunt leges. (Optima vox est.)

Si in aurem Iudicis susurret pecunia & Orphei Lyra & carmen Amphionis & Musa Virgilij voce pecuniæ suffocantur: Quid plura, vbi nummus loquitur, Tulliani eloquij tuba raucescit: vbi nummus militat Hectoreæ militiæ fulgura compescuntur: Vbi pugnat pecunia, virtus expugnatur Herculis, vincit nummus, regnat nummus, imperat vniuersis nummus. (Philo.)

Plus valet fauor in Iudice, quam lex in codice.

Gunstius est pluris quam tota Scientia iuris.

Iustitia non nouit patrem, non nouit matrem, veritatem nouit, personam non accipit, Deum imitatur. (Cassiod.)

DE MAGISTRATV.

Magistratus est medicus ciuitatis. (Thucydid.)

Melius est ciuitatem regi à Viro optimo quam à lege optima. (Aristot.)

Vbi præses fuerit philosophus, ibi

ciuitas erit felix. (Idem.)

Insanienti gladium & improbo magistratu committere perinde periculosum est. (Pythag. ad Stob.)

Ars gubernandi ciuitates principatum tenet in omnibus artibus. (Arist.)

Magistratus est lex loquens. (Cic.)

Qui Reipub. præsunt nulla re facilius beneuolentiam multitudinis sibi conciliant, quam abstinentia & continentia, (Idem.)

Magistratus intelligat se ciuitatis personam gerere, eiusque dignitatem & decus sustinere. (Idem.)

Qui præsunt similes legibus sint, quæ ad puniendum non iracundia sed æquitate dicuntur. (Idem.)

Præfectum Reipub. stantem mori oportet. (Dion. in Adria.)

Eruditiones de his Materijs.

Iudex & Ara. *Archytas* dicebat: *Iudicem & aram idem esse, vtrumque miserorum Asylum*.

Al. M. *Alexander M. cum audiret Accusatorem, alteram aurem manu occludebat, quæsitus cur id faceret: Alteram inquit aurem defensori inte-*

tegram relinquo. (Plutarch.)

Apud Aegyptios ijdem erant iudices qui Sacerdotes erant: (Aelianus.) *Aegyptij*

Apud Lacedæmonios iudicabant Iudices occlusi, vt neminem viderent. (Al. ab Alex.) *Laced.*

Bythinij iudicaturi in conspectu Solis tribunal ponebant. (Idem.) *Bythinij.*

Allobroges antequam ad Iudicium irent vini craterem bibebant, vocantes craterem iudicij & veritatis. Fortè vt è fundo veritatem haurirent: vel vt eloquentiores & audaciores essent: vel quod sicut vinum est dulce & seuerum; ita iudex esse debeat seuerus per iustitiam, dulcis per clementiam:& sicut vinum æquè Regem inebriat atque grégem, sic iudicium debeat esse sine respectu. *Allobrog.*

Traianus Imperator iudicibus hoc Symbolum dabat: *Fulmen super puluillum* cum Lemmate: *Lenis seueritas*. (Epitom. var. histor.) *Traian.*

Apud Aegyptios iudices gestabant in collo imaginem Veritatis *ex Saphiro; quæ habebat oculos clausos & plurimos ante se libros*. (Diod.) *Veritatis imago.*

Præ-

Præclarè de veritatis imagine dicit; *Aelianus*: *Ego Iudicem non ex lapide exsculptam veritatem circumferre, sed in ipso corde defixam habere volo*.

Amicus & Iudex. Celeberrimus ille in Germania furum domitor, sua quo catenæ aureæ in publicis vijs intactæ iacebant supplicio afficiendis in conuiuio annulos donabat, dicere solitus: *Amicus tuus & Iudex sum*. (Coker.)

Ludou. XIII. Ad *Ludouicum XIII. Galliæ Regem* accessit, qui patrati homicidij veniam peteret; Rex facti enormitatem perpendens, & quod iam tertio id sceleris admisisset: *Tene* inquit, *veniam flagitare, homicidij iam* tertij? *& ecce ioculator qui forte aderat; quid Domine* Tertij *imo* Primi *duntaxat, nam secundum & tertium tua sunt, quia si tu primum non condonasses, hæc reliqua non perpetrasset*. (Pontan.

Canutus. *Canutus Vandolorum Princeps* iustissimus fuit & nulli vel amico vel sanguine iuncto parcebat. Dū ergo de reis semel sumeretur supplicium, quidam damnatorum proclamauit, *se Principis Cognatum esse, parceret sibi*; cum Rex

Co-

Cognato, inquit *nostro, vt honoratior ei sit locus, sublimiorem parate crucem:* (Cranzius l. 3. Vand. Histor.)

Ferdinandus Cæsar clemens & iustissimus illud crebro in ore habebat: *Fiat Iustitia aut pereat Mundus*, (Cokerus.) *Ferdin.*

Lacedæmonij centum & quadraginta sellas in senatu habebant totidemque iudices, hæ sellæ verò ex ebore erant factæ & Leonibus incumbebant: Leones autem vno pede sellam fulciebant, & altero simiam proijciebant: Lemma subscriptum fuit: *Cede Leo, hic sedebit.* (Epit.) *Lacedæmoniorũ sellæ Senatoriæ.*

De Magistratu.

Cleo Reipublicę destinatus conuocatis amicis dixit, *Soluere se velle amicitiæ vincula; ne fortè cæco erga eos adfectu ductus à Iustitiæ semita deflectat.* (Plutarc.) *Cleo.*

Bernardus ad Eugenium recens electum Pontificem scribens sic ait: *Simius in tecto & Rex fatuus in solio æquè monstrosa res est: gradus summus & animus infimus: sedes prima & vita ima; lingua magniloquax & manus otiosa; sermo multus & fructus nullus; vultus grauis &* *Rex fatuos. Simius in tecto.*

actio

actio leuis, ingens authoritas, & nutans stabilitas.

Ambrosius de ijs, qui titulum cum dignitate accipiunt, sic dicit: *Actio congruat nomini, ne sit nomẽ inane & crimen immane: honor sublimis & vita decliuis.*

Ambrosij dictum.

Zeno dicere est solitus? *Solia & Vrbes decorandas esse non pretiosis ornamentis sed viris.* (Stobęus.)

Iacob. Almanso Africæ & Hisp. Rex throno suo inscribi iussit hæc: Primo *Iustitia tenet primum à Rege locum.* Secundo *Charitas diuitibus maximè conuenit.* Tertio *Patientia pauperum est propria* Quarto *Castitas est precipuum iuuentutis ornamentum.* (Tympius.)

Ex alia parte erant hæc scripta: Rex sine iustitia est nubes sine pluuia, Diues sine charitate est cibus sine sale. Pauper sine patientia, est alueus sine aqua. Iuuenis sine castitate est lucerna sine lumine.

Mexicani quoties Regẽ nouũ inaugurant, toties postulãt ab eo ius iurandum, quod iustitiam sit administraturus. nõ oppressuros subditos futurus in bello fortis ac strenuus: curaturus demũ; vt Sol cursum suum ac splendorẽ retineat, nubes pluuiã largian-

giantur, fluuij manent aquis & terra vbertim fructus suos proferat. Putabāt enim, quod si Rex probus esset, ei obediret Sol & tellus facūdior esset atq; totus orbis gratus fieret pro administrata rectè populis iustitia. (San.)

Sic Homerus:

Sicut percelebris Regis qui numina curat,
In multisque probisque viris iura aqua ministrat:
Ipsa illi tellus nigricans prompta atque benigna est.
Fert fruges segetesque & pomis arbor onusta est;
Proueniunt pecudes & suppeditat mare pisces;
Ob rectū imperium populi Sors tota beata est: vnde & Boetius. Annus bonus non tā de bonis fructibus, quā de iustè regnatibus existimādus est.

Signum est bonis regiminis & Regentis, quando panis est in foro; iustitia in iudicijs, securitas in omni loco. (Prouer. Italic.)

Chrysippus rogatus, cur nollet Rempub. regere, dixit: *Si malè re- uero, displebo Dijs, si bene, hominibus:* iuxta *Poetæ* sententiam. *Chrysip.*

Seu sequeris verum seu damnas pessime viuis;

Odia

Odia Diuorum contrahis aut hominum.

Cum *Epaminondæ* per inuidiam & contumeliam vilissimus quidã Magistratus datus esset, suscepit ipsum, dicẽdo *nõ solũ Magistratus ostẽdit ornatq; virũ sed & Vir Magistratũ. Itaq; se gessit & Magistratum illum honorabilem fecit, vt à multis deinde ambiretur.* (Erasm.)

Agesil. *Agesil.* quæsitus, cur Spartanorum Respublica præ alijs floreret: *quia* respondit, *Spartani & imperare sciunt, & parere.* (Plutar.)

Agathon. *Agathon* dicebat: *Magistratum trium debere meminisse, primũ quod hominibus imperet: deinde quod secundum leges; tertio, quod non semper imperabit.* (Stobæus.)

Alphons. *Alph. Magistratum* Cotem *appellare solebat*, qua hominum ingenia probantur (Panormitanus.)

Saturn. *Saturninus* cum milites illi peplum imperiale imposuissét, aduocata concione, de se ipso dixit; *Commilitones bonum Ducem perdidistis & malum Principem fecistis.* Erat hic militum Dux optimus, sed Imperator factus cum seuerus nimiũ esset, ab iisdem militibus interemptus est. (Trebell. Pollio.)

The-

Temistocles audiens quosdam ambire magistratū: *Si mihi*, inquit *si duas ostenderitis vias, quarum una ad sepulchrum, altera ad tribunal duceret: multo libentius ingrederer eam, quæ rectà ad sepulchrum ducit*, (Themistol.) Temistocles.

Demosthenes dicebat, *si ex duob. alterum sit eligendum, citius, se in exilium, iturum quā ad suggestū aut tribunal; Scire enim se, quantum invidiæ, calumniarum, ac periculorum ei expectandum sit, qui ad gubernacula accedit* (Erasm. in Apoph.) Demost.

Seleucus frequēter dicebat; *paucis notas esse Magistratum magnas curas; alioquin neminem repertum iri, qui Regum diadema humi projectum tolleret.* (Idem.) Seleucus.

Antigonus, cum regiū diadema & purpuram accepisset, dixisse fertur; *O nobilem magis quam felicem pannum, quem si cognoscas, quam multis curis, periculis & miseriis refertus sit, ne humi quidem jacentem e levares.* (Stobæus.) Antigon.

Bion dixit, *oportere bonum virū a Magistratu discedere non debitorem, sed clariorem.* (Idem.) Bion.

Pythagoras dicebat, *primo luxuriam civitates ingredi, deinde satu-* Pythag.

ritatem, postea contumeliam, postremo exitium. (Idem.)

Traianus ad Præfectum. *Traianus Imperator* dũ Præfectum Prætorij ense accingeret, dixit: *Cape hunc ensem, & si iuste imperauero, pro me, si iniustè, contra me vtere*. (Dion.)

Caligula. *Caligulæ* vox fuit, cum in Imperatorem esset electus, *nunc omnia sibi & in omnes licere*. *Reges* verò *Lacedemonij* minorem sibi delinquendi potestatem censebant esse relictam priuatis hominibus. (Tranquilius.)

Clotarij monile. *Clotarius Rex Galliæ* hoc monile habuit: *Cor punicei coloris in campo candido; ex corde duæ spicæ prominebant: vna a dextris aurea & loco aristarum radios solares habens*, cum lemmate: *Et luce & ardore*. *Altera vero spica a sinistris adamantina, habens aristas æneas* cum lemmate: *Nec luce, nec ardore*. *Prima Spica* pietatem notat feruore, & luce boni exempli splendidam. *Secunda* Magnanimitatem significat, quam nec ardor aduersitatis, nec lux prosperitatis potest euertere: tale Cor habere debet quisquis in dignitatem adoptatus est. (Reusnerus.)

Lu-

Ludouicus Sfortia ad Genuenses misit *F. Marchesium*, vt ab ijs grande tributum exigeret. *Genuenses Legatum humaniter acceptum in hortum deducunt, herbamque illi* BASILICAM *nomine offerunt*, dicentes: *accipe, & debilem hanc* (afflictæ Reipublicæ Symbolum) *herbam adorare*; accepit ille, & adoratus dulcem odorem percepit: jusserunt deinde vt herbam premeret ac contereret, denuoque odoraretur; fecit & fœtorem sensit: Tunc *Genuenses*, *sic*, inquiunt, *Si clementer Princeps egerit, gratiam habebit apud omnes, si presserit nos, & triuerit, amaritudinem, & molestiam sentiet.* (*Guicciardus.*) *Ludouicus Sfortia.* *Basilica.*

Pericles in Ducem Atheniensium electus frequenter sibi occlamabat, potissimum mane dum induceretur; *Attende, ò Pericles attende, ciues sunt, liberi sunt, Græci sunt Athenienses sunt, quos regis.* (Plutar.) *Pericles.*

Apud *Indos* supremus monarcha quem sua lingua *Vobon*, hoc est, iubar honoris appellāt: Is limites palatij nunquam egreditur, nec in oculos hominum venit; per palatiū *Monarca Indorum.*

vel vehitur super cunas, vel a terra sublatus in altissimis sandalijs ambulat, vt nunquam terram attingat: cum in throno sedet, ex vna parte pendet pugio seu gladius, ex altera arcus, & sagittę. (Richterus.)

Symbolū Senatoris. Quidam *Senator stellam habuit cum sex radijs* ejusmodi: *primus radius* fuit *instar Spicæ* cum inscriptione: *Vtilitate. Secūdus, instar clavis* cum lemmate: *Aequitate. Tertius, instar digiti* cum lemmate; *Actione. Quartus, instar capitis coronati* cum lemmate: *Dignatione. Quintus instar candelæ accēsæ* cum lemmate; *Pietate. Sextus, instar floris pulcherrimi* cum lemmate: *Odore bonæ famæ*. Planè Symbolū hominis ad Magistratum promoti. (Epitom. var. hist.)

Cimbri. *Cimbri* duplex Elogiū dederunt *Reginæ Amphiliæ*. In moneta sculpta fuit ab vna parte *Amphiliæ cū Cithara*: lemma, *Cimbriæ hilaritas* ab altera parte *eadem Amphilia cum lampade ardenti*; Lemma: *Cimbriæ Serenitas*. Innuebant exhilarari Regnum amore Reginæ erga suos; & præstantia familiæ illustrari. (Ludou. Legionem.)

Ale-

Alexāder Seuerus Imperator eos quibus collaturus erat Magiſtratũ ex albo recenſebat, vt ſi quis vitia alicui obijceret,& probaret, reus magiſtratu priuaretur;quod ſi obiecta non probaſſet, accuſator rei pœnam ſubibat.(Fulg.) *Seuerus.*

Alphonſus Aragoniæ Rex in palatio hoc Symbolum habuit, *Fuci circa Alueare* cum lemmate. *Malum Regnum vbi apes laborant,fuci deuorant* (Panor.) *Alphonſi Symbolum.*

Carolo magno planebant illi Principes, qui eſſent Auguſti Imperio, Pericles iudicio; Alexandri Bell. (Epit.) *Carolus M.*

Idem dicere ſolebat;*Optimus ille Princeps,cui nomen Adamus,cognomen Abrahamus*, i.e.qui laborioſus vt *Adam*, pius vt *Abraham.* (Ibid.) *Idem.*

Numidæ Principem ſuum vocabant *Cauriach* hoc eſt,riuulus:hoc autem inde fuit:*Habebāt Numidę fontem* Iouis *nomine inſignitũ, cui ſacrificabant tempore interregni,vt ipſis Principẽ oſtenderet.* Certis ergò temporibus ſummus Sacerdos fontẽ inſpiciebat & cuius perſonę vultum ſibi ibidem oſtendi *a Ioue* aduertit,eum mox populo Princi- *Numidæ Principes Cauriachi vocāt & vnde.*

pem promulgauit: Huius ceremoniæ memores, *Principes quotidie aqua ſtius fontis lauabantur*, quam porrigendo cubicularius dicebat: *Domine Cauriach*; hoc eſt, memento Terivum eſse. ibid.)

Tiberij Regnum. Tempore *Tiberij Ceſaris* cum Imperium ſuſcepiſset, *viæ dicuntur immutaſſe ſitum* læua in dexteram, dextera in læuam commutata.(Plin.9)

Rudolphus I. *Rudolphus ſecundus* ex conſenſu ſex Electorum factus Imperator, curauit ſibi in Symbolo pingi ſuper eburneam menſam *ſex calculos, ſeu ſirtes: ſeptimum verò deſuper quaſi de Cœlis venientem* cum lemmate: *Conſentientibus.* Innuebat omni electionis legitimæ etiam Deum ad ijcere ſuum calculum.(Tipoc.)

Mos Tartarorum in eligẽdo Principe. *Tartari Principem electuri* in locum campeſtrem conveniunt, & eum, qui Succeſſione vel votis eligitur, in thronum collocant omneſque acclamant: *Rogamus, volumus, præcipimus ut domineris nobis?* Reſpondet ille: *Si hoc a me vultis, neceſſa eſt, vt parati ſitis, quid quid præcepero, facere.* Reſpondet illi; *Sumus:* Tunc princeps: *Ergo*

go oris mei sermo de cætero gladius meus erit. Fit interea applausus a Populo; Postea ipsum è throno acceptum supra stragulum in terra stratum deponunt, & sedentem sic alloqvuntur; *Vide sursum & agnòsce Deum; respice deorsum, & vide stragulum, in quo sedes; si bene administraueris, ad votum habebis omnia: si malè, a Deo humiliaberis, vt nec hoc tibi stragulum relinquatur*. In sigillo dicti Principis solebat esse hæc subscriptio: **DEVS** *in cœlo, & Cham in terra: Dei fortitudo & omnium hominum Imperator.* (Epitom.)

Bajazetes Turcarum Imperator exprobrabat *Tamerlani* natale pastoritium; sed hoc responsi tulit; *Nescis, & ex lana ouium purpuras Regum fieri*; Hic *Tamerlanus* loco monilis fulmen de torque gestabat, cui inscriptum fuit: *In terra vapor, in nube terror*; (Paulus Iovius.) ***Baiazetes.***

Simile refert *Platina de Ioanne Pontifice*, qui in gemma annulli scriptum habuit; *Tunc gutta, nunc gemma.* (Platina.) *Ioannes Pontifex.*

Pausanias Lacedæmoniorũ Rex cum Simonidem Philosophum re- *Pausanias*

gasset, vt sibi dignum aliquod documentum tradere ad potestatem Imperij rectè administrandam: *respondit vir sapiens; Hominem te esse memento.*

Amasis. *Amasis Aegiptiorum Rex* obscuro loco natus cum ad Regalem dignitatem peruenisset, Nobiles, & Primarij obsequium præstare detractabant; *tunc Rex accito ad se aurifice, mandauit vt è pelui quadam pedibus suis lauandis anteà destinata, insignem Iouis statuam fabricaret: quam dum quodam die ipse totusque populus in templo versarentur, iussit in medium afferri: mox eam flexis genibus omnes adorarunt: quibus Amasis, quid adoratis? adoratis vas, quod hesterno die pedibus abluendis meis deseruiebat:* Cui omnes vno ore responderunt; *non adspicimus quod fuit, sed quod nunc est*; Tunc Rex, hæc eadem verba in eos retorquens cōtinuo dixit; *Ergò non aspiciendum, quod fui, sed quod sum; humili quidem loco sum natus, tamen Deo ita disponente ad regalem thronum ascendi*) Herodotus l.2.)

Rudolph. *Rudolphus Imperator* audiēs purpura-

puratos ab eius cõgressu tenuiores arcere, dixit: *Sinite homines ad me venire, neque ideo Imperator sumus arcula includar.* (Marl.)

Traianus Imperator profecturus ad bellum cum equum iam conscendisset, vidua quædam occurrit alta voce inclamans: *Filius meus, ò Rex, te regnãte interfectus est:* mox apprehenso pede illius, dixit; *Obsecro Domine, vt, cum eum mihi reddere non vales, sanguinem saltem eius vindicare digneris. Ego,* ait ille, *satisfaciam tibi, cum rediero: quod si non redieris*, ait illa, *quis mihi præstabit? Successor meus*, ait Imperator; *at illa; quomodo hoc sciam? quod etsi facturus est, quid tibi proderit si alius benefecerit? Successor tuus iniuriam patientibus vel passuris pro se tenebitur: Te non liberabit iustitia aliena; nonne melius tibi est, vt tu iustitiam mihi facias, & pro hoc mercedem recipias, quam alteri hanc transmittas.* Mouit Imperatorem pietas, & equo descendens caussam viduæ diligenter examina vir, & condigna satisfactione viduam consolatus est. (Vinc. Beluac. Spec. Histor. li. 10. c. 46.) *Traianus.*

Idem. De *Eodem* fertur, quod culpantibus amicis, quia nimis circa omnes communis esset, & facilis, benigne respondit, *Talem se velle Imperatorem esse priuatis, qualem Imperatorē priuatus optaret.* Hinc merito acclamatum est, *Bonitas Traiani.* (Eut. l 8.)

Iulianus ad accusatorem. *Cephidus* accusator quidam acerrimus apud *Iulianum* accusabat *Numerium* furti. Cum autem obiecta diluerentur, tunc accusator ita percitus exclamauit; *Ecquis nocens poterit esse vnquam si negare sufficiet?* Tunc *Iulianus*; *& quis innocens esse poterit, si accusare sufficiet?* (Ammian. Marcellin lib. 18.)

Pelopidas. *Pelopidas Imperator.* in expeditionem proficiscenti cum vxor ingemiscens sępius exclamaret, vt propriam vitam tueretur, sibique consulere; *Aliorum est*, respondit, *vitum propriam tueri, at Imperatoris ex suis incommodis omnia Reipublicam parare commoda.* (Mars)

Alex. M. *Alexander* vrgenti Matri, vt occideret quendam insontem, & dictanti se per nouuem menses portasse prægnantem: ita respondit prudenter & piè; *Aliā parens optima*

ma posce mercedem, hominis enim salus nullo beneficio compensatur. (Ammian. Marcellin. lib. 18.)

Themistocles. *Temistocles Simonidi* petēti, vt injustam caussam diceret, respondit: *Ne que tu bonus Poeta fueris si præter Musicæ modulos caneres, neque ego bonus Princeps, si cōtra leges pronunciem.* (Fulg. lib. 6. cap. 4.)

Antiochus. *Antiochus Rex Asiæ* Regni suis ciuitatibus scripsit, *si quid in literis quæ eius nomine scriberentur, esset, quod legibus aduersum viderentur, crederent se inscio eiusmodi Epistolas esse scriptas; ideoque iis non obtemperarent.*

Reges Aegyptij. *De Regibus Aegyptiorum legitur qood Magistratibus præceperint, illos iuramento devinciente, nequid gererent contra leges, etiamsi ab ipsismet Regib. mandaretur.* (Plut in Apoph Rom.)

CAPVT XIV.

De modo ferendi Votum seu Consultationem.

VOti Propositio est Oratio, in qua nostram sententiam in publ. consessu cum grauitate explicamus ad Reipub. aut districtius ad alterius cuiuscunque loci vel personę vtilitatē. *Triplex votū*

esse potest; *Assertatiuum*, quod propriam sententiam a nobis inuentam exponit. *Confutatiuum*, quod alienam sententiam allatis rationib. refellit. *Mixtum*, quod partim alienam sententiam refellit, partim propriam dicit & stabilit: de singulis singulatim.

QVAEST. L.

Oratio Voti Propositiua. Assertatiua.

Quomodo construitur Oratio Voti propositiua.

RESPONDEO I.

Votum assertatiuum ita propone solet.

Primo, Fit breuis ingressus ex occasione vel rei præsentis, vel periculi imminentis, vel personarũ deliberantium, vel ipsius dicentis: *Secundo*. Proponitur sẽtẽtia, quæ si partes habuerit, diuidenda erit; & quid primo, quid deinde dici debeat, explicandum. *Tertio*, Rationes pro sententia afferuntur, non tantum ex locis Dialecticis sed etiã ex *Ethicis*, ostendendo id, quod suadetur esse *bonum*, *honestum*, *gloriosum*, *jucundum*, *vtile*, *necessariũ*, *facile*, *opportunum*, &c. Item à *Simili*, ab *Exemplis*, à *Testimonia*,

Quar-

Quarto. Concluditur per repetitionem breuem cum amplificatione. Solet etiam, subjungi, id sibi quidem videri, sed tamen libenter rationes meliores, & commoda publica securum; nec habiturum sententiam suam optimam, sed optimam alterius.

RESPONDEO II.

Votum consutatiuum, ita peragitur.

Primo, Mētio fit Authoris prioris voti, siue cum laude, siue sine laude, & dicitur eum nonnihil ab eo quod salubrius est Reipubl. discessisse. *Secundo*, Refutantur rationes dictę pro priore voto, modestè tamen, & sine offensa; vel omnes in cumulo simul, vel singulæ seorsim. *Tertio*, Concluditur per Repetitionem, & Amplificationem breuem. *Oratio Confutatiua.*

RESPONDEO III.

Votum Mixtum sic pertractatur. *Mixta.*

Nempe occupatur illud circa puncta vtriusque voti Assertatiui & Consultatiui: siue velis prius tuam sententiam asserere & stabilire, & postea refutare alienam: siue è conuerso vtrum libet, licet.

Aduerte autem *Primo*; quod is

qui

qui primus dicet Sententiam, exponere soleat caussam consultationis institutæ, eamque exaggeraré, inuitareque & adhortari alios ad Societatem,& conjunctionem votorum.

Adverte *Secundo*: quod is,qui alterius sequitur sententiam, tractare possit *prius* aliquem locum per modum accessus: v.g *Prudentis esse*(dicendo)*bona consilia sequi*: vel illud dictum *Herodoti* præferendú. *Apud me tantumdem valet bene sentire per se, & alteri bonam sententiam dicenti accedere. Secundo*, Sententiã alterius collaudabit, eique assentietur additis,si quæ occurrunt, nouis rationibus, aut egregia amplificatione Potest etiã is, qui alterius sententiam sequitur;ita eam tractare,tanquam a nullo fuisset dicta,nisi forte in medio vel in conclusione,vel quando mentio fit datæ rationis, inijciendũ sit,id ab alio esse dictũ. Qui verò contrariũ sentit,testabitur,non se ideo facere,quod vero adversetur sed,quod aliud sibi videatur: ideoq;protestationẽ benevolentię aliaq;amica verba & officiosa interaeret sive initio,siue in conclus.

Ad

Ad vertè *Tertio*:quod in *decretis ferendis*, vbi non prævalet pluralitas votorum, ſic procedendum ſit. *Primo*, Repetuntur, & explicantur ſententiæ conſultorum, collaudaturque eorum ſtudium, & conſilium. *Secundo*, Rationes eorum vel approbãtur, vel reprobantur datis cauſſis,cur vtrumque fiat. *Tertio*, Fertur *Sententia decretoriæ* oſtenditurque eius æquitas modeſte, & prudenter.

Praxes fruſtra ſubiecerim cũ & ſupra ſub generalibus prçceptis in diſpoſitione poſuerim,& paſſim apud Hiſtoricos probatos habeãtur (Part. 1.c.2.q 3.modo 1.& 2.)

SENTENTIAE

Pro hac Materia.

Res eſt profectò ſacra conſultatio. (Plato.)

Omnia prius conſilio experiri ſapientem decet. (Terent.)

Conſilio vtilius quam viribus arma gerentur.(Verin)

Vis conſilij expers moluerit ſua. (Hor.)

Parvi ſunt arma foris niſi conſilium ſit domi(Cicero)

Diu delibera,cito fac:nihil curare hoc eſt inſanum eſſe : nihil poſſe

hoc

hoc est mortuum viuere.(Seneca)

Consilium qui de Rep.tollit ex animo rationem tollit.(Farnes)

In consilio sis testudo, in factis Aquila.(Vulg.dict.)

Veritatis Oratio soluta esse debet & libera.(Ammian.)

Veritas suauissima narratio est. (Democrit.)

Pietas palam declaranda, veritas audacter dicenda.(Idem.)

Non est turpe cum re mutare consilium.(Seneca)

Non est consilijs iuxta metum locus.(Dic.)

Amor priuati commodi, venenum est boni consilij.(Liuius.)

Senex vinum sanũ vinum.(Prou.)

Senex vir, sanũ consiliũ.(Ger.)

Eruditiones, & alia supellex.

Frider. *Fridericus Imperator tunc demũ saluam fore Rempub.*dicebat, *si Senatores de reb. consultaturi, in vestibulo Curiæ simulationẽ ac dissimulationem deponerent.*(Æne. Sylu.)

Alphons. *Alphonsus Aragoniæ Rex* dixit: *Romæ esse debuisse domũ Cõcordiæ ante Capitolium & domum cõsilij: in qua priusquam ingrederẽtur Capitolium Senatores, amorem priuati commodi, odia, simultates, & alios adfe-*

adfectus malos exuerent. (Panor.)

Cæsonius Pætus tuēdæ *Armeniæ* caussa *a Nerone* cōtra *Parthos* missus fortium, & militarium virorū consilia optima contemnebat, & opposita licet deteriora faciebat, ideò tantum, *ne indigere aliena sententia videretur*. (Tacit.) *Cæsonius Pætus.*

Lacon quidam omnis consilij quantumuis egregij, quod ipse nō attulisset inimicus fuit. (Coker.) *Lacon.*

Aristides vna cum Themistocle admodum sibi inimico in Reipubl. negotio ad legationem missus; *visne Themistocles*, dixit, *vt in his montibus paulisper inimicitiam deponamus, recepturi eam, cum redierimus*. Innuebat deponenda esse odia ijs, qui Reipubl. negotia curant (Plutarch.) *Aristides & Themistocl.*

Terentius dicit: *Consiliariorum primum dogma est, occasionem obseruare properantem*: Est enim occasio anima actionum, & rerum bene gerendarum Mater. *Occasio.*

In subitis arduisque periculis, rapienda sunt consilia, non quærenda. (Coker.) *In subitis consil. rapien.*

Idē dicit, meminerit, consiliarius nitum dum nauis est salua, consulere: & prouidere ne euertatur; postquam *Mo.*

enim

enim fluctus exsuperat, inane est studium. (Herod.)

Consiliũ. *Maturum est consilium, cui adsederint timor, & cunctatio.*

Severum. *Alexander Severus rem primo die consiliarijs suis tantum proponere solebat, & spatium dare vt disquirerent, cogitarentque dicturi postea sententias, ne incogitantes consilia funderent.* (Lampridius.)

Puteolis Respubl. in Campania, post multa feliciter gesta bella & triumphos *extruxit Servio Duci suo palatium ingenti sumptu: in quo diversa conclavia ea arte fornicata, vt ex vno in aliud transitus esset, & quod in vno dicebatur, hoc in singulis & omnibus echo distinctissime reddebat & audiebatur.* Cum ergò Dux cum suis centurionibus consilium habebat in certo conclaui, milites alij per alta sparsim conclauia sedebant: & cum finire deliberationem vellet, clariori voce hęc solum verba pronunciabat: *ita decernimus*; & confestim echo vndique resonabat, *imus*: statimque miles ad obsequia Ducis exsilijt.

Puteoli, palatum extruunt.

Baleares Insulæ. In *Balearibus insulis* hęc consuetudo fuit, vt quoties de arcano ali-

aliquo vellent deliberare senatores, in campos exirent, ibique foueam effoderent, versus quam inclinabant ora, & vota inuicem & consilia loquebantur: & vbi finiebatur deliberatio, foveam illam terra implebant, atque reliquo campo complanabant. *Sepelienda esse consilia sub silentio innuebant.*

Timebant nimirum ne venti voces raperent, deferrentque consilia latè per campos, quod circa *Mydam Regem phrygiæ* contigisse fabulæ memorant: Habuit hic Rex asininas aures, & dum semel *a Chirurgo* tonderetur, habere animadversus est: igitur, apud hominem pecunia silentium emit, sed hic dum diu secretum tenuisset, semel in campis vagus, impatienter arcani, inclinato ad arundinem ore, *arundo*, inquit, *audi, Mydas habet aures asininas*: res mira, statim hæc verba ab arundine ad arundinem meare, & cum vel minimus spiraret ventus, clarissimè omnes campi resonare: *Mydas habet asininas aures.* (Mydas.) *Midas.*

Et Gobrias in Apologo suo ait: *Frigora.*

in

in quadam parte Indiæ tanta esse frigora, ut verba loquentium priusquam ad aures audientium perueniant, congelentur, in terramq; ruant, aut in aere suspensa hæreant: verno autem tempore, cum resolutio incipit flantibus *Zephyris*, resoluũtur etiam verba, & tunc prius sonare per aera, & audiri incipiunt.

Consus. Apud Antiquos *Consus*, *Deus*, *Consiliorum colebatur*, eius ara subterranea fuit; ad insinuandam Consiliorum occultationem.

Ioannes Castellæ Rex. *Ioannes primus Castellæ Rex ferali, & lugubri veste toties induebatur, quoties tributorum conferendorum consilio Regnum onerare debuit.* (Rosinus.)

CAPVT XV.

De Legationibus.

ET Domi, & extra Legationes obimus. Extra ad fędera struẽda, indicenda bella, contrahenda amicitiam cum Principib. petenda auxilia, &c. Domi verò mittimur ad *Comitia generalia* a Nobilibus: & a Rege ad *Comitia Nobilium* quando magna instant *Comitia*.

QVAE-

QVAESTIO I.

Quomodo Oratio eiusmodi construi soleat.

Primo, Accessus solet fieri ab aliquo discursu, siue à laude eius ad quem dirigitur Legatio: siue eius à quo fit: siue a studio vtriusque Regni erga se mutuo; siue ab alia quacunque circumstantia, aut re, à qua commoda ad rem institutam descendi possit. *Secundo*, Puncta Legationis exprimuntur. *Tertio*, Singulæ Legationis partes suis argumentis suadentur, & confirmantur. *Quarto*; Concluditur vel adhortando adhoc quod intenditur: vel petendo vt admittatur: vel commendando, vel exigendo, vel quid simili fieri debet, secundum exigentiam materiæ, ac prout res postulat. *Legatio.*

Quando laus Principis, à quo legamur, ponenda sit, facilè prudēs Orator aduerterit: nempe tunc, cum rei, in qua Legatos agimus authoritas, veritas, aut necessitas tali modo solidatur.

Nota vero quod in *florentissimo Poloniæ Regno* hic mos inualuerit, vt Legati a Rege ad Comitiola nobiliū, *primo*, Nomine Regis pręsē-

tes

tes salutent, gratiamque, & fauorem regium offerant: *deinde*, literas fidei. *Credentes* illi vocant, ostendant. *Postremo* autem, puncta Legationis præmisso accessu, & discursu, siue de bono regimine Reipubl. siue de studio Regis in Rempubl. oratione explicent.

Exempla Legationum pulcherrima extant apud *VVassenbergium* in libro de rebus gestis *Vladislai IV. Regis Poloniæ*. Sed & apud historicos passim praxes legeris. Excellit illa *Legatorum Scytarum ad Alexandrum M.* quam videre licet *apud Curtium lib.* 7.

Quandoquidem tam varia, & multiplex materia Legationis esse soleat, non est possibile singulas occasiones suis eruditionibus instruere: Studium igitus cujuscunque, sic supplementum faciet. APPENDIX.

Genus iudiciale. In *Genere Iudiciali*, in quo accusamus, vel defendimus, vt vel malitia puniatur, vel innocentia absoluatur, nihil dicere attinet; siue quod ex generalibus præceptis satis constare possit, siue quod in eo excellere ambiés, satis lucida apud Authores passim præcepta, &

ma.

maximè apud *Aristotelem* habeat. PRAXES verò tot *Ciceronis* Orationibus. Hoc tamen pro comperto sit, à modernis Oratoribus forensibus, quos *Pragmaticos aut Causidicos* nuncupamus, non aliunde sumi probationes, quam ex *Iure scripto communi, & speciali*: & quo quis ingeniosior & in legendo iure diligentior, eo facilius potest & leges, & consuetudines accommodare Caussæ, quam defendit aut arguit. Supervacaneum igitur hic hærere, quapropter littori potius vicinus antennas soluo, & Anchoram figo.

Ignosci tamen mihi postulo, quod longior fuerim, quam esse proposui & prope in tituli nomen deliqui. Vtilitas me studiosæ juventutis protraxit, cui vnicè complacere studui. Nisi fortè & *Poeta* versu mihi adblandiar: cujus judicio sunt

Quæ bona, multa parum, quæ mala, pauca nimis.

Sed scio & Sapientum comitiis definitum circumferri, quod *in lõgitudine brevitas, in brevitate longitudo possit inueniri*: Nam & ille

quon.

quondam in paucissimis versibus habitus est longissimus ab Eruditorum censura, quoniam *ineptus Poetaster*; *& Homerus in Iliade*, *& Odysseis* illo breuior, quia vtilis & non è trivio Poeta. Sed manum de tabula, ne hoc ipso nomine malus esse incipiam, dum me peccasse excuso.

SOLI DEO GLORIA.





VERBORVM ET RERVM

ELENCHVS COPIOSISSIMVS.

Y Aegy.

Dio.

Ga-

He-

I.

Iudi-

Ma-

M.

R

eli.

INDEX.

F I N I S.

Noi Reformatori dello Studio di Padoa.


HAuendo osseruato per fede del P. Commissario del Santo Officio non esserui nel Libro intitolato Orator Extemporaneus de arte Oratoria Stampato in Lipsia cosa contro la Santa Fede, e parimenti per attestato del Segretario nostro niente contro Prencipi, ò buoni costumi, concedemo licenza che possi essere stampato, douendo osseruarsi gl'ordini.

Dato dal Magistr. nostro li 2. Apr. 1660.

{ Nicolò Capello Reform.

Alemante Angelo Donini
Segretario.




BIBLIOTECA